6
10-f
15

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
5 A
54

theca
Rom.
Iesu

22-2-44

6-10-f-15

22
35

Digitized by Google

Digitized by Google

PROLVSIONES RHETORICÆ SIVE ORATIONES IGNATII BOMPLANI

SOC. IESV

Habitæ in Collegio Romano

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ M. DC.LXII.

Sumptibus Ignatij de Lazaris.
SVPERIORVM PERMISSV

Bibl. Sec. Coll. Rom. S. J.

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNI PAVLO
OLIVAE
SOC. IESV
VICARIO GENERALI.

Ignatius Lazarus S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TIBI Sacrorum Oratorum Maximo, Reuerendiſsime Pater, has orationes meis, & typis, & ſumptibus impreſſas, offerre non modo audeo, ſed debeo; Quemadmodum enim ex Naturæ præſcripto aquæ omnes properant ad mare quod aquarum eſt Origo, ita ex Sapientiæ inſtinctu quidquid aliqua in arte cuditur, nos deferimus ad eius Artis Exemplar tanquã debitũ ſummæ ex-

excellentiæ teſtimonium; Accedit alia cauſſa quod coniunctis, & ſociorum, & Tuarum Virtutum ſuffragiis euectus es ad gubernacula Societatis Ieſu, cui ut perenne meum obſequium adprobarem, non aliam officinæ meæ teſſeram indidi, quam Sancti Franciſci Xauerij ſignum. Ideoque cum hoc ſit primum opus quod nunc ex eadẽ mea officina prodeat, illud tibi ſiſto veluti obſequij & pignus & vectigal.

Syllabus Orationum.

1 *Quomodo ſit reſtituenda res literaria. Proluſio* pag.1
2 *Romam Sapientia niti* p 21
3 *Eccleſiæ præſidium eſſe doctrinam* p.42
4 *Pontifex ſeu Amor, & Maieſtas* p.67
5 *Pontifex ſummus ſeu Delectus ſummorum hominum, & ſummorum operum* p.89
6 *Pontifex optimus ſiue Suauiter & fortiter* p.11.
7 *Romanum Imperium Religionis Chriſtianæ cauſsà fuiſſe inſtitutum* p.134
8 *Imago Purpurati* p.146
9 *An ſit peregrinandum ſapientiæ cauſsà* p.154
10 *Hiſtoria ſeu Providentiæ exempla* p 170
11 *Oratoria ſeu Ornamenta dicendi oriri ex natura* p.189
12 *Poetica ſeu Poetarum vitia non eſſe vitia Poeſis* p.209

Digitized by Google

Ad faciliorem Adoleſcentum vſum adiecimus hunc Indicem rerum, quæ fuſius vel deſcribuntur vel amplificantur.

A

Adoleſcentiæ mores pag. 157.
Adoleſcentiæ ſtudia 5.
Adulatio 220.
Aerarium 114.
Aetas noſtra 89.
Aetatis diuturnitas 173.
Aeternitas 21.
Ambitio 184.
Amor 70. & ſeqq.
Annibal 185.
Argutiæ 8.
Ars 211. & ſeqq.
Artes bonæ 105.

B

Bellum 139. 150.
Beneficſentia 129. & ſeqq.
Breuitas 8.

Ca-

C

Caritas 128. & ſeqq.
Chriſti ortus 188.
Cicero 3.
Collegium Romanum 23.
Conciones 4. 5. 6. 7. 9. 10. 11. 14. 18. 19.
Conſtantia 129.
Conſuetudo 191. & ſeqq.

D

Delectus hominum, & Operum 89.
Dignitas 121.
Doctrina 42. & ſeqq.
Domus 3. 199.

E

Eccleſiæ 42. & ſeqq.
Elocutio 42. & ſeqq.
Eloquentia 55.

F

Fortitudo 179.

G

Gramatica 51.
Gratus animus 147.
Gre-

Gregorius XIII. 67. & ſeqq. 89. 112.
Her-

H

Hercules 179.
Hiſtoria 55. 13. 170. & ſeqq.
Hæreſis 33. 107.
Hominis pretium 187.
Homo 118.
Humanitas 170.

I

Idololatria 31.
Imaginatio 193.
Imperium Romanum 134. & ſeq.
Innocentia 177.
Iuris ſcientia 60.

L

Latina lingua 136.
Liberalitas 75. 124. 152.
Libertas 113.
Lud. Card. Lodouiſius 146. & ſeqq.

M

Magnitudo animi 149.
Maieſtas 67. 78.
Maieſtas oris 146
Mo-

Digitized by Google

Manaſſes 182.
Marius 186.
Metaphora 206.
Militia 213.
Monarchiæ 46.

N

Nabuchodonoſor 183.
Narationes 18. 52.55.57.70.71.
86.87.178.192.203.204.216.
224.
Natu[illegible] 35.156.162.190. & ſeqq.
Nauis 200.
Nouitas 2.

O

Oratoria 12,189.& ſeqq.
Orbis terræ 44.
Othomanus 107.

P

Patriæ incommoda 163.
Pax 138.
Peregrinationis bona 161.
Peregrinationis mala 156.
Philoſophia 58.
Plautus 18.
Poeſis 13.53.209. & ſeqq.
Poe-

Poeta 219.125.
Populus oppreſſus 178.
Potentia 109.221.
Princeps 91. 93. 262. 176. 176. 178. 181.
Principum beneuolentia 9.
Prouidentia 28.44.48

R

Regionum mores 27.50.
Religio Chriſtiana 135.&ſeqq.
Roma 21. & ſeqq. 117. 146.147.
Romanum Imperium 134. &ſeqq.

S

Salomon 181.
Sapientia 39. &ſeqq. 163.
Scholæ 119. 155.
Scioli 7.
Semiramis 175.
Senectus 173.
Seruitus 113. 178.
Seueritas 84. 126.
Stolíditatis exemplum 224.
Suauiter, & fortiter 112. & ſeqq.
Supplicium 17. 73.

Tem-

T

Tempus 15.
Theologia 61.
Timor 69.
Tolerantia 177.
Tribunalia 120.

V

Verba 201. & ſeqq.
Vita 2.173.
Vitium 13.
Vrbs 174.

Goſvvinus Nickel Societatis Ieſu Præpoſitus Generalis.

CVM Orationes *P*. Ignatij Bomplani noſtræ Societatis Sacerdotis aliquot eiuſdem Societatis Religioſi recognouerint , & in lucem edi poſſe probauerint , poteſtatem facimus , vt typis mandentur , ſi ita ijs , ad quos pertinet , videbitur , cuius rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas , ſigilloque noſtro munitas damus Romæ 12. Februarii 1661.

Goſvvinus Nickel.

Locus ✝ Sigilli.

Imprimatur,
Si videbitur Reuerendiſs. *Patri* Sacri Palatii Apoſt. Mag.

O. *Epiſc*. Patracen. *Viceſg*.

Imprimatur;
Fr. Raymundus Capiſuccus Ordinis *Præd*. Sacri Ap. Palatii Mag.

Digitized by Google

QVOMODO SIT RESTITVENDA
RES LITERARIA
PROLVSIO

Habita in Collegio Romano

In Comitijs generalibus Soc. Ieſu.

NOVVM politioris ne, an impolitioris literaturæ genus melioribus inauditum ſeculis noua peperere ingenia (Sapientiſſimi Auditores,) dum veterem ſeueritatis aſpernata diſciplinam, & nullis cõpreſſa Cēſorum legibus libertatem pro arte, pro gratia fucum, ſpeciem pro maieſtate conſectantur, immò quod ingratiſſimum accidit, ac pernicioſiſſimum, nec proſunt, nec delectant, dum in omnem licentiam effuſa, vel delectare volunt, vel pro-

deſſe more Poëtarum. Nimirùm vita mortalium inſtar catenæ Homericæ tota ſibi reſpondet: ea poſteris placent, quę commendauere maiores: ea proſunt quę profuiſſe creduntur: nec aliud eſt Aetas Parentum, quam vinculũ, & forma Nepotũ: ideo ſumus deteriores quia diſſimiles. Et hanc eſſe decumanã populorum vocem, quotidianam Academiarum querelam, & arcanum prudentiæ gemitum quis noſtrum ignorat? nihil ſcilicet nouitati non licere: nihil vſpiam incorruptum, nihil ſimplex, ſyncerum nihil, ſed omnia labe ſimulationis contaminari, fucari, fingi: & ea nos omninò vſurpare, ſeu viuendi, ſeu diſcendi præcepta, quæ tanquam ingeniorum aberrantium peccata reiecit Antiquitas, cuius iudicium ſi contemnitur, virtus repudiatur & veritas. Ergo ad Reipublicæ dignitatem ſalutemque pertinet importunum, ſed iuſtum ætatis ſibi ipſi iraſcentis dolorem aliquo leuamento compeſcere. Quoniam verò

rò ſua cuique ſeculo intemperies toleranda eſt, nec vlla ſeueriore manu quædam temporum vulnera ſanantur, operæ pretium erit amæniore ludo rem pertractare, narrantis more non declamantis: faſtidiũ creat qui declamat, qui narrat voluptatem.

Ampliſſima eminebat in Parnaſſo domus, quæ Vitruuij & Bonarotæ æmulo excitata labore germanã Architecturæ indolẽ ſpirabat Gratia & Maieſtate: non illi amplitudo ædificij, non partium æqualitas, non operis varietas, non elegantia deerat; imò *S*ymmetriæ immiſta Eurythmia omnium ad ſeſe oculos alliciebat eò ſpectabilior quò rarior.

Huc, tanquam in Curiam Apollinarem, conuenerant quicunque ſapientum nomine gloriabantur, præter M. Tullium Ciceronem, qui factione quorũdã offenſus ad Scythas demigrauerat, quamuis plures cenſuere nihil literaria poſſe de re proponi aut decerni, quod ſit ſta-

Digitized by Google

bile ac æternum ſine M. Tullio, quē dono quodam Prouidentię genuit Natura, vt eſſet humanioris ſapientię arbiter ac parens.

Sed Conſul Seuerinus Boethius cum fama percrebuiſset Ciceronem gratioſiorem eſse apud Scythas quā apud Latinos nec facile rediturum, coacto ſtatim Senatu his verbis ſententias rogauit. Neminem fugit, opinor, vos fuiſse accitos, vt integris animis de optimo peſſimoque ſtatu literarum diiudicetis; quamuis enim plerique, vti mos eſt diuerſa ſentiant, & iactent, tamen vna omnium vox perſonat, Rempublicam literariam grauiſſimis afflictam incommodis momenta pręſtolari calamitatis decretorię. Itaq; ſapientię molem, aut firmate nouis munimentis labantem, aut firmam ſtabilemque amplificate, aut ſuſtinete magnitudine ſua laborantem. Sola dicendi libertas reparat damna, quę intulit adulationis rea taciturnitas: Alios pęniteat dixiſse, nos tacuiſſe; Non enim minus perditur

ditur Reſpublica dum tacetur, quam dum proditur. Afferte remedia ſi qua ſunt vulnera. Neque pudeat ab Apolline ad Aeſculapium, hoc eſt, a parente ad filium transfugere. Sapientię nomen exuat ille, qui ſibi, quam alijs impendit, inuidet ſalutem. Si nomen ac laudem ſapientiæ amatis, vobis ſapite.

Primus omnium aſſurrexit Hermolaus Barbarus nobilitate generis & morum gratia minimè barbarus. Geminum, inquit, ſtudiũ (veluti gemina rota Vanitatis) muſarũ currum hoc tempore diſtrahit atq; conuellit, alterum adoleſcentibus arridet, viris alterum. Dolenda ſane res eſt illos Naturæ candidatos & olim innocentiæ ephebos, eadem nunc licentia, eadem fronte ſoluere mores qua capillum: non agere ac pati fortia, ſed otio indulgere ac genio: non algere ac ſudare, niſi ludendo: atque ita literarum ſimul ac pecuniarum decoctores fieri, non doctores. Quid autem adulta homines ætate mo-

liuntur, niſi platonicas rerum publicarum ideas? quid præter monſtra regnorum concipiunt? quid aliud comminiſcuntur, quam nouos Orbes, & noua imperia, obliti videlicet Iulium Cæſarem, Octauium Auguſtum, & Tiberium alioſque maiornm Gentium principes ſummæ potentiæ, prudentiæq; politicæ addidiſſe politiorem literaturã vſu & nomine confinem. Itaque vtrumq; ſtudium cenſeo tollendum eſſe. Adoleſcentes ſeu capillis, ſeu moribus incompoſitis in Gymnaſia ne admittantur; Homines autẽ politico œſtro perciti in inſulam eijciantur ſomniorum; ſomniat enim quiſquis aulam extra aulam inſtruit: vel etiam in carcerem inſanientium ſecedãt helleboro purgandi. Eiuſdem inſaniæ genus eſt, velle imperare cum minime poſſis & præſcribere modum imperandi cum minime debeas.

Mox Petrus Victorius præclaris in Ariſtorelis poeticam commentariis magni habitus Hermolai o-

ratio-

rationem hoc fere pacto excepit. Teneo morbi cauſam & remedium. Homines huius ætatis, optici beneficio tubi, acie oculorum propagata, non ſine infamia naturæ, inuenere pluſquam lyncei, maculas in Sole. Quam oculorum audaciam imitata ingenia, cępere & ipſa labes agnoſcere in primarijs Doctrinarum luminibus Ariſtotele, Cicerone, Virgilio alijſque quibus in periculum inſcitiæ adductis & ipſa ſcientia periclitatur. Ideo crediderim nouum eſſe conficiendum tubum opticum, qui aciem videndi minuat, & præferat in vitreo margine delphicum Oraculum, Noſce teipſum. Vos huiuſmodi Sciolis, quibus Aetas noſtra inſtar locuſtarum, vt ita dixerim, ſcatet, hunc tubum date vtendum; niſi vtantur ea plectantur pœna vt ſcribant, cogitentque antiquis meliora; niſi ſcripſerint, decem annos *Pythagoram* audiunto. Sic linguis iudicijſque compreſſis, Artes florebũt ac ingenia.

 Sed

Digitized by Google

Sed interpellãs Frãciſcus *Petrarcha*, Potius, ait; excogitandum eſſet inſtrumentum, quo docerentur homines grandius grandire gradum; hoc ſcilicet æuum breui conſtat ætate, ac breuibus fere corpuſculis, adeoque metitur omnia breuitate, quam obſcuritas & inopia comitantur. Iam regia & ampliſſima dicendi genera conuertimus in cameleonteas verborum nugas, quæ vel quia concipiunt aurã popularem, vel ingenio concipiuntur ventoſo conceptus nominantur, conuenienti ſane nomine; conceptus enim ingenij ſunt, non partus nec ornant, ſed grauant corpus orationis.

Ad hæc verba ſe commotior cõuertit ſcriptor Satyrarum Perſius; Næ tu, inquit, Franciſce tuo gladio tuum iugulum petis. Annon iuuẽtutem in tot mala impulere tua illa carmina italica, quo breuiora, eo pernicioſiora?

Parabat excuſationem *Petrarcha*. *V*erum Actius Sincerus San-

naza-

nazarius nomine & eloquio Sincerus, ne certamen oriretur, ſubiecit. Non me noſtræ facies fortunæ deterret gnarum ad alios non pertinere tot malorum fontem, quam ad Principes, quos cum Prouidentia deſtinauerit imperio terrarum vt magiſtræ generis humani ſapientię, qua ſubſidio, qua patrocinio adeſſent, tamen aliquando frangit ſiue adulatio, ſiue curarũ intemperies, vt ſapientiæ vel inuideant, vel iraſcantur. Vidimus continuato ſeculorum experimento non aliter ſtare literas, quam propitijs, nec aliter cadere, quam iratis principibus, quibus inuitis neque viuere nobis licet neque ſapere. Non Apollo, non *Muſæ* dedere Virgilium, ſed Auguſtus & *Mecænas*. Et merito fabulæ produnt e Iouis, hoc eſt Deorum, Hominumque Regis, capite natam *Palladem*, quia è beneuolentia Principum Sapientia naſcitur. Ne igitur in hoc ſemper metu ac diſcrimine verſemur, in illam ego ſententiam venio, vt reli-

relicto Principibus vrbano, bellicoque imperio nouus deſignetur ſapientię Dictator, qui extra ſuffragia dominantium in literas poteſtatem exerceat: qui præditus indole, ac genio Apollinari ſapientiam amet, nec timeat ſapientes: qui non artes ingenijs, ſed artibus accommodet ingenia: qui literaria demum ornamenta tribuat ſola doctrinę commendatione. Non poteſt non perire ſapientia, ſi nomine ſapientię inſipientes ornantur.

Huic reclamauit Orationi Marſilius Ficinus, non minus beneuolentia Principum, quam Platonicæ diſciplinæ ſtudio inſignis. Hęc, inquit, damna ego nequaquam traxerim ad Principes qui nunquam odere ſapientiam ſed vitia ſapientum; hoc enim fato potentia nititur vt ſapientiam ęſtimet. Non odimus quod ęſtimamus. Nero ipſe inter Principes inhumaniſſimus nunquam odio habuit Senecam, aut Lucanum; ſed Seneca & Lucanus odio habuere Neronem. Peperciſſet

ciſſet Ciceroni Antonius, ſi Cicero pepercisset Antonio; quippe plurimi doctrinę auctoritatem pręferentes, non tam modeſtia, quam ambitione Principibus innoteſcũt quorum gratia riſuq; delectati neſcioquid maius Iliade, ęneideque moliuntur. Hinc illa naſcitur aliquando in ſapientiam iniqua mens Dominantium. Idcirco Viris literatis ſuaſerim, vt abſtineant conſpectu & contubernio Principum. Exeat aula qui ſapiens eſt. Nox cõmendat Solem, ſapientiã ſolitudo: quicquid oculos fugit, excitat animos: vel amantur ingenia dũ latent, vel æſtimantur. Nam eadẽ prorſus vocabula ſunt ignotũ, & magnificũ.

Neutram ſententiam probauit Liberius Verinus Sanga, quo ſe nomine abdidit vir ſumme cordatus, hæc fere verba locutus. Princeps & Aula exrerna ſunt pericula. Nos ipſi circũferimus in ſinu perniciem, dum conturbato ſapientię genio alia omuia amamus, quam quæ maiores adprobauerunt, nomi-

naque virtutum ijs vitijs induimus quæ illi nigro lapillo notauerunt. Et hoc vltimum ſpecimen imperij præcipitantis habetur, amare vitia pro virtutibus. Circumſpicite vniuerſum ſapientiæ corpus & plane intelligetis corruptam eſſe medullam ſapientiæ, noſque abuti ſanie pro ſanguine. Vbi nunc reuerentia, vbi ſplendor Academiarũ? nullum habetur ingeniorum diſcrimen, nullum experimentum: ſua cuique licentia pro lege: ſua cuiq; ignauia pro diſciplina eſt: ſibi quiſque minerua fit: artes excoluntur ſine arte: Grammaticam interpretamur ingenij detrimentum, & decrementum doctrinæ, cum ſit fundamentum. Oratoria non pugnat argumentis, ſed ludit antithetis: non fulminat, ſed fulgurat: non vulnerat, ſed titillat: aſpergit, non irrigat: palpat non debellat: blanditur, non proſternit, quaſi officium ſit Oratoris placere, non perſuadere dicendo; atque vtinam placerent; tot enim verborum an-

fra-

ſractibus, tam denſa nube metaphorarum inuoluunt orationes, vt audiantur, non intelligantur: afferentes non voluptatem ſed ſtuporem, hoc eſt Torporem. Quid Hiſtoria? non alias, quam Luciani veras conſcribimus hiſtorias, & mileſias fabulas conſignamus æternitati tanquam generis humani exempla ſacroſancta. Poeſim vero muſarum ne reginā appellauerim? an ſeruam furiarum? Idem iam cēſetur opus, edere verſus ac bombos, condere carmen ac tormentum: pro ſuauitate arridet nunc furor, nunc tumor: pro latina tranquillitate Perſicus faſtus, pro Parnaſſo Caucaſus. Quid Philoſophi quorum regna chimęris abundant? Vſque adeo laborant homines faſtidio ſui! Vſq; adeo vera ſapientia ludibrio eſt! Vſque adeo ingenij monſtra, & quæruntur, & probantur! Quam igitur medicinam hiſce malis adhibebimus? plane nullam. Vitia cum altius inſederint, ſunt ipſa remedia incrementa vitio-

tio-

tiorum; Neque legibus vtendum eſt, vbi legibus laboramus. Quoniam verò pernicies omnis ex eo manat, quòd poſterorum delicata ingenia conſentire veterum ſeueritati dedignantur; neceſſarium duxerim omnia reuocare ad mores & inſtituta maiorum: perduntur imperia, non conſeruantur, dum alijs retinentur artibus, quam quibus conſtituuntur; obtemperando & laborando parentes noſtri arcem obtinuere ſapientiæ, de qua nos per ignauiam, & ambitionem deijcimur. quod ne committatur, nominetur inpoſterum Cenſor, qui natam nuper licentiam exigat ad normam antiquitatis. Perijt Reſpublica niſi placet Cato.

Hæc acerbior oratio pleroſque commouit, quos leniuit hiſce verbis Latinus Pacatus orator nobilis. Humanitus quidem, ſed fruſtra indolemus vulneribus, quibus mederi velle, ſapientiæ reor, poſſe, diuinitatis; hæc enim vulnera pleriſque videntur eſſe tela naturæ nō

for-

fortunæ; vitia temporum non literarum, fatorum iniuriæ, non hominum. Siquidem hac lege naſcimur, hoc inſtituto adoleſcimus, hac voluntate conſeneſcimus, vt obſequamur, pareamus, inſeruiamus tempori; quis autem ignorat hanc eſſe temporis vim, poteſtatem, tyrannidem omnia concutere, conuellere, conſumere: nihil pati certum, nihil ſtabile, nihil æternum? tempus enim ſuæ inuidet proli; neque ſinit à tempore natam ſobolem viuere ſupra tempus. Itaque res primum parit; & cum peperit, fouet: deinde viribus confirmat, opibus auget, ornamentis nobilitat; mox improuiſo impetu, verſa in odium beneuolentia vires debilitat, opes imminuit, ornamenta contaminat: demum æmulationis impatientia res ipſas inuadit, denudat, corrumpit, conterit; deque corpore facit vmbram, de vmbra nihil. Ita Regum excelſiſſimę turres in pauperum tabernas, palatia in mapalia, vrbes in nemora commutan-

mutan-

mutantur. Tam ſubdole inſidiatur hæc *Parca*, tam inhumaniter ſæuit, tam atrociter affligit. Nimirum hæc eſt illa fatalis Penelope, quę literati ſeculi telam texuit, & modo retexit: hæc illa furialis Mœnadum Princeps, quę Orpheum Oceani victorem, dominatorem inferorum, terrarum delicias, parentem ſapientiæ diſcerpit ac dilacerat: hęc illa pluſquam barbara Medea, quæ fraterna membra diuidit ac diſpergit: hæc illa inexorabilis Adraſtiæ lex, cui parent omnia, Reges, Elementa, & Artes; hic ille turbo neceſſitatis, quo ima trahũtur ad ſummum, & ſumma reuoluuntur ad imum: hæc illa demum eſt arcana ſeculorum tempeſtas, in qua vel inuita facit iam ſapientia naufragium, quamuis enim ſit minimè tempori obnoxia mens, cuius filia ſapientia eſt, tamen quia contubernio corporis vtitur, ſentit & ipſa cum corpore tormenta temporis, & inconſtanriæ machinis labefactatur. *Potuitne* luculentius
elo-

eloquentia cum reliquis artibus effloteſcere, quam ſub Iulio & Auguſto, paulo poſt tamen cæpit ſub Nerone defloreſcere: demum elanguit ſub Heliogabalo. Abeunt ſecula, ſed redeunt mores ſeculorum, Iam eloquentia renata ſuum cum Artibus expleuit ſeculum. Quid ſit alteri ſeculo timendum, vos cōijcite. Illud tamen ego adfirmo, quam confidenter; hęc vulnera quãuis intima, quamuis arcana, quamuis fatalia ſi qua ſunt, poſſe ſanari ſi prӕmia & honores bonis artibus, earumq; profeſſoribus decernantur: hãc enim arbitra fatorũ Prouidentia legem ſanciuit, vt quemadmodũ calore Solis aluntur corpora, ita ingenia luce honoris alantur. Diē natura deſiderat, ſapientia prœmium; ſed neque amat natura diem ſine nocte, neque ſapientia præmium, ſine pœna: ſeruetur obſequentibus & ſtudioſis honor, ignominia refractarijs & ignauis; & Reſpublica literaria ſtabit, præmio ſcilicet & pœna; poſſunt imperia

ſtare

ſtare interdum ſine pœna, ſine premio nunquam.

Poſt Latinum Pacatum eadem fere alij dixere, quorum poſtremus M. Plautus, in theatro ſuetus olim agere licentius, comicæ feſtiuitatis vel in Senatu exhibuit argumentum. Erar veſtitus centone perquam ridendo, quem more latino, grecoque in pallium togamque ſemipartitum cōfarcinauerat ex lacinijs omnium ſcriptorum, neſcio quid exprobraturus noſtri ſeculi hominibus, qui non tam libris quam centonibus librorum, & ſcriptionum centunculis delectantur. Et aperuit labia raro hiatu, veluti ex tripode delphico, vel ara hammonia pronunciaturus Oraculum. Quid, inquit, agitatis? vultis rem literariam reſtituere? bene hercle factum, & gaudeo; ſed auſim ne ego vobis audacter eloqui, quod ſentio? Plane ridiculi eſtis, vultis ingenia viuere, nec ventri victum datis. Ignoſcite, hoc literarum peccatum eſt: concilianr famem

cum

eum fama, Idcirco vobis id conſilij do: aperiatis ærarium, e quo liceat viris doctis haurire aurum, hoc eſt, ſapientiæ alimentum, ſuamque conſolari paupertatem: videte quo me veſtræ literę deduxerint. Statimque excuſſo inſtar cerniculi centone, omnium oculis ingeſſit farinam, exclamans altiſſima voce. M. Plautus, poeta quia eſſe voluit, piſtor euaſit.

Excepta eſt hæc ſcena non ſine riſu nec ſine plauſu, riſum tamen compreſſit Seuerinus Boethius, qui cum omnium ſententias audiſſet, ſuam dixit. Quæ, inquit, rei literarię attuliſtis adiumenta, ea proderunt nobis ac poſteritati. Sed profecto viſus eſt mihi rem attigiſſe M. Plautus miſcens more ſuo vtile dulci; Cæpimus enim & nos inhęrere veſtigijs quorundam populorum, qui eas amant arbores ex quibus non fructum, ſed farinam decerpunt. Cępimus, inquam, ſeu morbo, ſeu infirmitate ingenij, ſolidam ſapientię laudem aſpernari,

quam

quam veteres doctrinarum duces, & promittunt & pręſtant; atque eos potius conſectamur literarum amatores, qui non imbuunt ingenia fructu ſapientię, ſed leui ac fere ſordido puluere aſpergunt. Vereor autem, ne ſi prauus hic mos inualeſcat, paulatim abeamus in iram Generis humani, cuius lęditur fortuna dum ſapientia lęditur. Pręterea res eſt ambigua & lubrica ingenium, & niſi optimos duces nanciſcatur, facile aberrat; ingeniis aberrantibus redibit ſeculum Pyrrhę noua monſtra queſtæ. Quãobrem per eã, quam debetis & Sapientię, & Reipublicę, & Generi humano beneuolentiam conſtanter ac ſeriò in hanc incumbite curam, vt in ſingulis artibus duces ingeniorum eos publico decreto nominetis, quos Prouidentia deſignauit, & commendauit conſenſus tã ſeculorum, quam animorũ. Siquis contra moliatur, exemplo ſit Ouidius exul. Spectat enim ad idem lęſæ naturę crimen, & bonos mores,

res, & bonas artes corrumpere.

ROMAM NITI SAPIENTIA
ORATIO
Habita in Inſtauratione Studiorũ.

INTER humanæ vitę pręſidia pariter & ſolatia, Emin. P.P. potiſſimùm excellit ratio parandę Æternitatis, ad quam mutuo certamine contendunt Ars & Natura; vt nos, nec pudeat, nec pœniteat viuere inter mortis anguſtias, dum per mortem graſſamur ad immortalitatem. Verùm inani quædam ſpecie decepti æternitatem perdimus, dum ęternitatem molimur; ſiquidem plerique mortalium ſibi perſuadent non alio tramite nos ferri ad nominis & vitę perennitatem, nec alia machina ſuſtentari fortunam cadentis Humanitatis, quàm oſteutatione potentię. Hoc erroris æſtro ſollicitata magnanima illa veterum Romanorum gens, omni-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

omnibus viribus, opibuſque ſeſe effudit ad cæmenta iacienda & erigenda trophæa, vt per immenſa, & ædificia, & imperia *Romam* redderent hominibus & fatis adorandam. Pace veſtra, Quirites, Æternitatem ſapientia parit, non potentia. Collocauit quidem hæc olim Mundi ſolium in Capitolio, at Capitolij maieſtatem excepit ruina, cinis, & miſerabile funus tanquàm Temporis de potentia debellata triumphus. Etenim Prouidentia cum Romam deſtinaſſet arcem Generis humani Mundi arbitram vicariam Cœli, & æmulam Æternitatis, primùm illi potentiam impertiuit, tanquam futuræ magnitudinis rudimentum; deinde tanquam autoramentum abſolutæ dignitatis adiecit ſapientiam. Ergo deiecto Capitolio ſuperpoſuit Vaticanum, vbi *S*apientia faſces moderaretur & fata mortalium.

Ex hoc intelligere licet, Aud. quanti ſit facienda ſapientia ad cuius & ſolemnia celebranda, & capeſſen-

peſſenda ſtudia conueniſtis. Namq; Roma nititur ſapientia. quod ne videatur ex ſtudio potius erga hanc Vrbem, quam ex vero dictum afferam ad Romæ commendationem teſtimonium veritatis, Naturæ conſuetudinem, & rationem ipſius Sapientiæ conſtantis ex ſanctitate, terrarum, principũ obſequio, quiete populorum.

Quiſnam veſtrũ ſacra literatura, vel modice aſperſus ignorat oraculum illud adamantino diuinorũ prouerbiorum charactere expreſsũ; Dominus ſapientia fundauit terrã? Itaque ſapientia eſt fundamentum Terræ. Si terræ, etiam Romæ quæ Terræ cor habetur & regia; moles autem fundamento nititur. Perpẽdite, oro, ampliſſimam aliquam domum; & ſi libet, huius in quo verſamur Collegii ædificationem. Offert primùm ſeſe oculis eius forma, opere quadrato magnifico ſimul & iucundo; diuiſa quatuor in partes, quæ artificio diuerſo & polito inter ſeſe certant de elegantia;

proſ-

proſpectus tamen eminet tam fabrè delineatus vt apellæam manũ non deſideret, ſymmetriam ſpirans, & eurythmiam; ornatus multiplici feneſtrarum ordine, ac Tyburtino lapide Romanum in morem elaborato, vt ſcenam facere, ac hoſpitiũ parare videatur & aſtris & Soli: conſtat duplici porta, quaſi ducens ad bicipitem Parnaſſum humanæ ſimul ac diuinæ doctrinæ, Panditur deinde atrium illuſtre, amplum, æquale; quod omni ex parte conformatæ ad normam Porticus commodè ambiunt; denſæ quoque ac latæ claſſes aperiunt ſeſe tanquam minora templa Muſis dicata; mox aſſurgit gemina hinc, atque hinc ſcalarum cortina, vnde ducimur ad maiora Mineruæ delubra, atque ad hanc maximam Aulam, tali Auditorum & præſtantia & ſplendore penè ſuperbam. An igitur, vt reliqua loci ormenta prætercam, hæc omnis ædificatio deſtituta fulcimento eſt? an pendet in aere vacuo, vt ſit ventorum

rorum ludibrium, & exemplum lamentabile magnitudinis prçcipitantis? Nequaquam. Sed nixa fundamento quod illi ſubiacet ac ſubſternitur, ſeipſam ſuſtentat, ac tuetur.

Idem prorſus accidit Romæ. Hçc Vrbs Orbi par, Mundi mundus, nõ modo Caſſiodori ſed etiam omniũ mortalium confeſſione nuncupata miraculum, quæ loco Principis agnoſcit Deum, Deique vicarium: loco ciuium Purpuratos, Principes, Antiſtites: loco ſeruitij fortunam, potentiam, nobilitatem: quæ nodo authoritatis pluſquam gordio Cœlum, terras, inferos complexa, continet vtrumque Solem in manu, ſub pedibus vtrumque Orbem, vtrumque hominis regnum in ſinu: quæ omnium Nationibus conſtructa opibus, honoribus, trophæis, omnibus etiam Nationibus opes, honores diſpenſat, & trophæa, cuius fundus elementorum tractu, cuius faſces ſceptris, cuius diadema coronis, cuius ſolium Solis curru, cu-

ius culmen cœlo conſtat & Deo. Hæc, inquam, Vrbs pœne immenſa, num inſtar molis arbitrariæ iacet ac vacillat, nullo nixa fundamento? Nequaquam. *Dominus Sapiētia fundauit Terram; igitur Dominus ſapientia fundauit Romam.* Neque mecum aliorum Vrbes conquerantur, quaſi & ipſæ fundatæ ſint ſapientia, quod in terra contineantur; quandoquidem (abſit verbo inuidia) Roma ſola eſt Terræ finis: reliqua loca (vt Geometrarum voce vtar) lineæ videntur eſſe, Roma cētrum eſt Orbis.

Perpenſo veritatis teſtimonio expendere libeat conſilium Naturæ, quæ vbere materno cum reliquas Vrbes exceperit Romam fraudare nec potuit nec debuit. Circumſpicite vniuerſam Naturæ ditionem, luſtrate mortalitatis emporia, inſpicite domicilia, & animaduertetis nullam eſſe tam ignobilē terræ particulam, angulum nullum, cui prouida illa rerum parens aliquam prærogatiuæ notam non attribuerit

vt

vt ſitum loci efficeret vel pretioſum vel certe non contemnendum. Alibi arbores rariores & fruges: alibi amplitudinem, nemorum venatui opportunam: alibi vaſtitatē fluminum nauigationi perutilem: alibi alia procreauit ſeu diuitiarū, ſeu delitiarum inſtrumenta. Quis inficiabitur Naturæ liberalitatem erga Americam cui aurum & argentum: erga Aſiam cui aromata & odores: erga Africam cui marmora & animantia: erga Europam cui pluribus in locis, quà Metallorū fodinas, quà ſoli amænitates dotis inſtar donauit? At ager Romanus nullo priuatim dono ſplēdeſcit & niſi aliunde iuuaretur vel eſuriret Roma, vel ſylueſceret. Addite. Nōne cunctis regionibus quæ imperium in reliquas terras exercuere, aliquod ineſt ſiue argumentum indolis, ſiue dominationis inſigne? Aſſyria iactat facilitatem, ferociā Media, Perſis elegantiam, eloquentiam Græcia. Roma vero gentium plane omnium imperatrix nullam ſin-

ſingularem imperij teſſeram oſten-tat, nec vllum famæ aut gloriæ pig-mentum romana in fronte diſper-git, quod in aliena non admiretur. Laudas conſtãtiam? hac Lacedæmõ gloriatur. Stratagemata? Cartha-gini imputantur? armatam conſi-lio & manu mentem? hanc ſibi vin-dicant Athenæ. ardorem pugnan-di? tribuit ſibi Gallia? robur? Hiſpania. ſtrenuitatem? Germa-nia; quaſi reliquæ terræ inter ſe Romę gloriam diuiſerint, quemad-modum Roma reliquarum terrarũ potentiam in ſe coniunxit. At ne-fas omnino crediderim, opinari Romam infra reliqua loca fuiſſe naturæ iudicio deſtitutam & quo-dammodo damnatã, cum omnium rerum ſit princeps & quid quid la-borauerit Natura, ſoli propemodũ Romæ laborauerit. Itaque altior cauſſa afferenda videtur. Scilicet Prouidentiæ genius eſt, nihil ag-gredi temerè, perfunctoriè aut tu-multuariò nihil exequi: ſed arma expolit, parat præſidia, machinas admo-

admouet, eaque omnia opportune inſtruit adminicula quibus propoſitum ſibi finem adſequatur; adeoque cum ſtatuiſſet, vt Roma in altiſſimo Vrbium & Imperij ſolio emineret, excelleretque non agrorum opulentia, ſed ſanctitate terrarum: non elementorum gratia, ſed obſequio Principum: non deliciarum amænitate, ſed quiete populorum, idoneum illi præſidium atque inſtrumentum ad hæc comparanda ſuppeditauit: videlicet Sapientiam, cuius compos & naturæ opibus ſuperior & Cœlo cognata eſſet, ideoq; iure ſuo Cœli vicaria.

Verum vt ad reliquam confirmationis partem accedam, Aud. nollem vt quiſquam veſtrum audito ſapientiæ nomine, aliter eius rationem geniumque interpretaretur quam reuera exiſtit, crederetq; illam otioſam, ſolitariam, ſibiq; vt indulgeat nectare contentã & Cœlo. Conſiſtit quidem ſapientia trãs terræ, Cœliq; vias in ſupremo Diuinitatis adyto, ibique nectare veſcitur

ſcitur & ambroſia; ſed non hoc cõtenta, ipſam *Diuinitatẽ* per Sanctitatis miniſteria proponit hominibus venerandã. Potentiã Creatoris contemplatur, ſiue in excitãda, ſiue in adminiſtranda rerũ vniuerſitate; ſed cõprimit eadem potentiã Principũ ne poteſtate abutentes aut negligẽdo diuina, res humanas euertãt. Fruitur etiã ſolitudine ac ſeipſa, poſita extra fulmina, extra turbines, extra ſcopulos, extra fluctus; attamen huius quietis participes facit populos, fulmina diſijcit, ſedat turbines, ſcopulos arcet, fluctus componit: eadem & diuerſa, ſui tenax & prodiga: rerum ſpectatrix & arbitra. Et hanc de ſapientia ſententiam præſcripſit Sectatoribus Socrates, Plato in Academia, in pædia Xenophon, Ariſtoteles in peripato, in Stoa Zeno, Ægyptij, Druidæ, Gymnoſophiſtæ in Ethnica Theologia, in Chriſtiana Ambroſius, Auguſtinus, alijque qui hanc ſapientiæ rationem expreſſere commentarijs & exemplis. Id ipſum indi-

indicant Poetæ dum fingunt Palladem pro Ioue pugnantem, perdentem Titanas, Cœlum tranquillantem. Sola ſapientia Deum tuetur. Non potentia perdit potentes ſed ſapientia. Sapientia ſola orbem tranquillat. Atque hæc eſt propria Romæ prærogatiua Deum tueri per ſanctitatem, per obſequium Principes frænare, proſpicere Populis per quietem. Idcirco Roma pingitur ornata more Palladis galea, haſta, clypeo. Galea tegit ſanctitatem, obſequium extorquet haſta, clypeus affert ſecuritatem. Atque hæc tria diximus eſſe ſapiẽtiæ munera & veluti lineamenta quibus & Roma conſtat.

Vt verò cognoſcatis, quantum Sanctitatis hæc terris attulerit, in quo primum ſapientiæ munus verſatur, recognoſcite hunc terrarum ambitum qualis erat ea tempeſtate qua locis omnibus ethnica ſuperſtitio incubabat. Tam peſtilens errorum lues, tam fœda animorũ intemperies, tam flagitioſa morum

turpitudo inficiebat penates, templa, gymnaſia, vrbes, prouincias, regiones vt auſim dicere maculas illas, quas in Sole aduertimus, fuiſſe contractas præter morem id temporis quo Terras tam maculoſas illuminabat. Non potuit Sol non impalleſcere, non mutare lucis colorem eiecta vndecumq; per vana & fœda ſimulacra Diuinitate, qui decedente Dei filio laborauit. Horreſco referre. Adorabãtur pro Numine ſerpentes, lapides, arbores, morbi, ſcelera. Quis hanc teterrimam & vere auernalem Generis humani noctem diſiecit? Nonne Roma, vbi à *Petro* Chriſtianę fidei lampade accepta, eius victricem lucem in omnes plagas diffudit, Dionyſio in Gallias, in Germaniã Villebrordo & Bonifacio, Brunone in Pruſſiã, in Pannoniam Adalberto, Auguſtino in Angliam, alijſque in alias partes emiſſis veræ fidei phoſphoris, quorum aduentu Deorum oracula, murmura Philoſophorum, Zoroaſtris, Thia-

nei

nei,Idumeorũ,Brachmanũ tentamẽta veluti terriculamenta vmbrarum euanuere. Sic nemora,lycea,oppida, elementa ſenſere ſanctitatem, non minus terrarum quam animorum Solem. Cuius tamen pulcherrimos dies paulò poſt corrupit infandus Hæreſum vapor quo afflatus confuſuſque Orbis terræ euaſit pila Stygis, & Protheus monſtrorũ, ſe miratus eſſe modo Arianum, modo Manichęum,modo Macedonianum, ac demum Luterianum hoc eſt tartareo luto coopertum,tanta cum cladeChriſtiani nominis vt parum profuiſſe videatur abiicere ſimulacra Deorum dum mentium figmenta coluntur. Quis tamen hanc hæreſum monſtroſam lucem diſſipauit,niſi Roma,modo immiſſis in aciem Abundio, Vincentio, Hilario, Hoſio, alijſq; heroicis militibus, qui naſcentia monſtra manu herculea demeterent, modo religioſorum ordinum oppoſitis legionibus, quæ fidei ſpartam tuerentur pectore pluſquam ſpartano;

modo per Concilia Romana, Nicæna, Epheſina, Conſtantinopolitana, Viennenſia, Lateranenſia, Tridentina inſtructis vbique veritatis armamentarijs: modo etiam exerto & vibrato per anathemata fulmine, vt ſaltem terror & ipſa pareret ruina ſalutẽ? Inſuper vnde accepimus ſanctitatis ritus, leges, mores, myſteria, niſi Roma dante vel probãte? Vnde in Cœlũ hoc eſt in metã Sanctitatis conſcendimus niſi è Romano colle? immò vnde Cœlum ipſum per ſanctitatem locupletatur, niſi è ſuffragio Romæ mortales immortalitate donãtis. Gratulor tibi Roma ſortem tuam. Olim per potentiam illud ſummum ab Adulatione impetraſti vt Romanus Princeps nuncuparetur Orbis locupletator; at nunc ſponte ſua Veritas id tibi ex ſapientiæ merito tribuit vt Romanus Pater nuncupetur locupletator Cœli.

Sed Cœlum non locupletatur, niſi Principes obſequantur. Pharao ſi terram promiſſionis inuidet, impedit

pedit. Idcirco neceſſe eſt vt Roma non modo Sanctitatem terris, ſed etiam dominantibus inſinuet reuerentiam ſui & ex reuerentia, obſequium, quæ eſt altera ſapientiæ pars. Me dies deficeret ſi ex integro vellem referre, quàm conſtanter id Roma præſtiterit aduerſus omnia Dominantium machinanamenta, vt plane conſtiterit Romā non modo nomine, ſed reipſa eſſe Robur & terræ & Cœli. Quantum Orientis regia Romam extimuit, trepidantibus ad eius minas Baſiliſco, Zenone, Anaſtaſio, Leone, Copronymo, Alexio, alijſque qui antea inſultabant? Quantus Occidentis Regiæ ex Romano fulmine terror! Othone, Henrico, Friderico, cæteriſque non modo faſces, ſed genua Romæ ſubijcientibus. Prætereo cæterorum obſequia Regum, non modo eorum, qui Chriſtiana, qui Catholica, ſed etiam aliorum, qui Barbara, qui aliena a Cælo regna tuentur. Vos teſtor Daci, Cumani, Bulgari, Aethio-

pes, Scythæ, Moſchi, Sinenſes, Iapones, Armeni, aliique externæ Diſciplinæ Principes cuinam niſi Romæ vota, corda, regna vel ſubieciſtis vel obtuliſtis? Plena ſunt, litora, plenæ prouinciæ, plena loca omnia veſtigiis Regum Romam venerantium. Vbinam niſi Romæ ſpectantur Principes, Reges, Cæſares prono corpore faſces, thyaras, coronas, ſceptra, diademata abiicere, accipere? Vbinam niſi Romæ Romanorum Imperator ſtratoris & ſerui officio gloriatur, vt ſuum erga Romam obſequium conteſtetur, Capitolio adorante Vaticanum? Vſque adeo ſupra potentiam eminet ſapientia! fuerit olim ingens decus Romæ potentis, regere imperio populos, at Roma ſapiens regit imperio Reges; quippe Regnum in proprios greges, Reges in ipſos imperium eſt Romani Patris.

Ex hoc Principum obſequio trahitur quies Pupulorũ, quę eſt & poſtremum ſapientiæ *lineamentum*,

&

& erit etiam poſtrema orationis meæ linea. Hęc autem quies tãti refert vt in eius conſtantia vertatur publicæ cardo felicitatis; vacillat enim quidquid eſt inquietum & niſi vacillat, certè conturbat. Quid eſt Cœlo illuſtrius? quid venuſtius terra? quid æquore iucundius? at ſi concutiantur ventorum tnrbine, impetu aquarum, nubium fluminumque tempeſtate, nihil obſcurius, nihil horridius, moleſtius nihil. Ita ſe habent res humanæ vt ſi commoueantur, abeant in calamitatem. Hic igitur labor omniũ ac præſertim dominantium eſſe debet, curare vt nihil moueatur, & mota quieſcant. Verum id ſapiẽtia ſola obtinet, præſertim exercitatione bonarum artium, diuinarũ, humanarumq; profeſſione doctrinarum, vno verbo ſtudijs literarũ ſiue ſpectent ad Humanitatem, ſiue ad Philoſophiam & Iuriſprudentiam, ſiue ad Geometriam & Aſtronomiam, ſiue ad Theologiam, Sacramque literaturam. Hæc nempe

ſtu-

ſtudia non modo adoleſcentiam informem moribus, & cupiditatibus inquietam ſanctè formant & tranquillè firmant, verum etiam cuiuſcumque ordinis homines inſtructis documentis tanquam velis remiſque in portum ducunt: ſedāt omne perturbationis genus: omne quietis adminiculum prębent: Populos coniunctos fouent, diſiunctos nectunt: pacem, militiam, religionem, principatum, leges, mores, iura, fata, animos, agros, domos, familias, vrbes, prouincias, regna æterno fœdere componunt: ſuſtentant demū quamlibet generis humani fortunam, ſecundam ornant, ſolantur aduerſam, cadentem morantur, ſubleuant iacentem, efficiuntque vt mortales perturbationis expertes, hauriant felicitatem ex ipſo cratere infelicitatis & mortalitatis ex vbere ſugant immortalitatem.

Quis autem non intelligit quam egregiè Roma, vti reliquas, ita hanc etiam Sapientiæ partem exple-

pleuerit dum Rempublicam Chriſtianam ordinauit, recreauit Oriētem, Occidentem ſeruauit depulſa ſuperſtitione, hæreſi profligata, acciſa diſcordia, Bellona exarmara, firmata quiete, vt meritò nūcupetur nauis & anchora fluctuantiū populorum. Sic proſpexit per Leonē primum Græciæ iactatæ, deſtitutæ Siciliæ per Gregoriū magnū, per Leonem tertium Imperio Romano nutanti, periclitanti Palęſtinæ per Vrbanum ſecundum, per Honorium tertium Septentrioni gementi, iacenti Scythiæ per Vrbanum quintum ac demum nuper per Tertium decimum Gregorium vniuerſo Terrarum Orbi cadenti, excitatis vbique bonarum artium Gymnaſijs, quæ ſunt publicæ tranquillitatis & cunabula & propugnacula. Et re-uera ſi res geſtas maiorum ſcrutamur, planè liquebit præcipua Romanæ inſtrumenta magnitudinis fuiſſe bonas artes cum religione coniunctas, hoc eſt inſtrumenta ſapientiæ: neque vllum immiſſum,

vel

Digitized by Google

vel ab Inferis decumanum fluctum, vel à Cœlo decretorium nimbum quem illa non increpuerit & frenauerit adhibita in conſilium ſapientia: & e contrario Romam neglecta Sapientia degeneraſſe à Roma, quæ nihil aliud eſt quam ſapere; Conſtat enim ſummo Pontifice, Purpuratis & publicis rerum Adminiſtris, veluti Cœlũ Sole & aſtris. Hi autem more Solis & aſtrorum aliquo bonarum artium ſplendore, vel lucent vel ſcintillant. Appello te ò Cœlum cuius arbitrio vrna Pontificũ voluitur, nonne te deſtinãte eadem fermè fuere maieſtatis & ſapientiæ nomina? adeò vt in altiſſimo Vaticani vertice emineat non modo Olympus, ſed etiã non raro Parnaſſus. Scientia & Deum facit & Dei Vicarium. Appello te Orbis terrarum, quos Purpuratos (vt omittam aliorum munerum *Patres*) quos Purpuratos, inquam, Roma in omnes partes ligauit, vt pacis fœdera, iura concordię, quietis prężidia inter Latium, & Gręciam,
inter

inter Orientem & Occidentem, inter Pontifices & Cęſares, inter Reges, Principes, Antiſtites, Populos firmarent, ac ſancirent? rudes ne homines & imperitos? an potius Beſſarionem Trapezunzium, Iulianum Cæſarinum, Nicolaum Albergatum, Nicolaum de Cuſa, Aegidium Viterbienſem, Iacobum Sadoletum, Hieronymum Aleandrum, Reginaldum Polum, Marcellum Ceruinum, Ioannem Moronum, Vincentium Laureum, alioſq; innumeros omni doctrinæ genere inſtar ſtellarum emicantes? Nempe ſolus Mercurius hoc eſt literarũ Deus fœdera pertractat. Te demùm appello, Aula Romana, quoſnam ſeu priuatarum, ſeu publicarum rerum adminiſtros probas, doctos ne? an indoctos? Vel amas doctos vel æſtimas: indoctos potes timere, æſtimare non potes. Idcirco qui ſuam Romæ operam adprobare cupit, vtatur oportet ſapientia vel ſua vel aliena.

Atque hæc à me dicta, Humaniſſimi

ſimi Aud. ſatis erunt, opinor, vt diiudicetis, ex ſtudio ne an ex vero adfirmauerim Romam Sapientia niti. Quod ſi ex vero adfirmaui, veſtrum erit fauere ac ſtudere Sapientiæ. Hoc monet ſapientiſſimus Pontifex, dum aperto latè proſpectu legendã vobis exhibet in fronte huius romanæ Palladis Gregorianam illam Epigraphen *Religioni, & bonis artibus*, vt intelligatis conſtare Sapientiam Religione, ac bonis artibus, & ſapientia Romam.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ECCLESIÆ PRÆSIDIVM ESSE DOCTRINAM.

O R A T I O

Habita in Aula maxima Collegÿ Romani.

ETSI Diuinitatis in Orbe terrarum dominantis plurima ſenſit imperia populus mortalium, poſt ſancita tamen iura maieſtatis, nul-

nullum concepit ſanctiùs, adorauit reuerentiùs, innocentiùs excubuit quam Eccleſię principatũ, quem in extrema ſeculorũ periodo Prouidentia deſignauit eò admirabiliùs quò fortius, eò ſuauiùs quò tardiùs vt eſſet meta regnorum, ſuprema omnipotentię linea, ſerium ſapiẽtiæ ludentis negotium, & decretorium Æternitatis rudimentũ. Quidquid enim vel eximium in vmbrą mortalitatis effulſit, vel arriſit amabile in ſqualore Naturę, vel in fortuna Principum, ad oſtentionem obſequij, excelluit memorabile, id omne obtinuit, hæc Generis humani Regina non armata ferro, ſed ingenio: neque alijs ininſtructa munimẽtis quam doctrinarum: ſemper inuicta, ſemper victrix, quia ſemper alumna, ſemper magiſtra veritatis. Itaq; rem facturum me credidi huic ſolemni literarum inſtaurationi opportunã, ſi ad excitãdam ingeniorum alacritatẽ, in hac luce Religionis & Sapientiæ affirmarim confidenter, Eccleſiæ
prę-

prę ſidium eſſe doctrinam. Quod ne dicere videar, tanquam à ſacra & literata audiētia captaturus beneuolentiam, primùm demonſtrabo Eccleſiam eſſe ſummum imperium, ſummoque indigere prę ſidio, quod ſitum eſt in ingenio & doctrina; deinde oratione complectar vires & adminicula, quę vnumquodque doctrinæ genus illi ſuppeditat.

Illud autem mihi hoc initio dicendi ſtatuendum eſt, quod vox naturę, conſenſus Nationum, & ratio ipſa teſtatur; hunc Orbem mortalitatis non fortuito rerum euentu, & tumultuaria gubernatione, ſuapte ſpontè, nulla minerua rotari & circumuolui; ſed potius agi certiſſimis legibus, ſtabili rerum nexu, & tenaci prouidentiæ nodo colligatum: minimè fluctuare dum ſpeciem fluctuantis exhibet: deferri tempeſtate, non iactari: & turbine ventorũ ad portum compelli, non ad naufragium, Habet enim Gens humana rectorem,

rem, cuius voluntate coaleſcit: eò magis ordinata, quo perturbata magis apparet.

Neceſſe eſt igitur aliquam latere cauſam, cuius gratia toties mutauere prouinciæ iura regnandi, & Orbis terrarum orcheſtra fuit tralatitiæ dominationis. Et quamquã hæc ſit humanis ignota mentibus, eam tamen afferre mihi poſſe videor, quod diuinorum conſiliorum & Prouidentiæ ſcopus fuerit Eccleſiæ imperium ſacroſanctum, cuius ſtructuræ cum ſeſe adieciſſet Deus diuerſa & plura imperia, illius veluti ſimulacra conformauit, vt in Eccleſiam omnia dignitatis lumina conferret. Ita Pictor ille venuſtiſſimam imaginem formaturus, libauit e pluribus venuſtatem. Ita Lyſippus aliquis plurima effingit Heroum ſimulacra, & cum effinxerit, deturbat; vt ex omnibus Heroibus Alexandrũ componat. Abeant prophana. Deus, cum habeat ſemper pro ſcopo Deum, & in humani limo corporis lineamenta

Chri-

Digitized by Google

Chriſti duxit, & in prophanæ potentiæ puluere imperium Chriſti delineauit.

Cum autem quinque ſint vires & veluti lineaméta, quibus erat ſummi corpus imperij conſtituendum, animorum coniunctio, ſplendor dignitatis, ditionis amplitudo, prudentia regiminis, & morū legumq; ſanctimonia; quinque etiam condita fuerunt imperia: quatuor videlicet Monarchiæ, & præterea principatus Hæbræorum, in quibus vnaquæque imperij dos, exhiberet ſui ſpecimen luculentum. Quandoquidem orta ex contumace Babylonicæ turris concordia, linguarum animorumque diſcordia; nata eſt etiam Aſſyriorum Monarchia, quæ duce Belo, coniunxit obſequij vinculo populos, non minus animo quam regione diſtantes. Hæc deinde migrauit ad Perſas, qui Artaxerxe, Cyro, Xerxe, Dario principibus, inchoatæ dominationi addidere opulentiam & quemdā dignitatis ſplendorem, in quo ſeipſam

ipſam velut in ſpeculo Maieſtas componeret ac populis approbaret. Qua mox abeunte ad Græcos, & Alexandro rerum potito adiecta eſt tanta ditionis amplitudo, vt ex vno Alexandri cadauere innumeri prodierint Reges, & Alexãdri principatus non tam fuerit imperium, quam ſeminarium imperiorum. Romani demum quorum ars fuit regere imperio populos, coniunxere potẽtiæ prudentiam, &, vti certiſſimum eſt ſacrarum paginarum testimonium, vincula ſeruitutis iniecere orbi terrarum, patientia, & conſilio. Verum quia præcipue in principatu efflorеſcit morum legumq; ſanctimonia, conflauit *Pro*uidentia Hebræorum dominatum, qui ſeipſo ſtaret, ac virtute reliquos principatus anteiret. Ergo mores Hebræis, Gentibus ſceptra impertiuit Deus vt omniũ deniq; ornamenta in Eccleſiam commigrarent. Atque ita præceſſit humanum decus tanquam fundamẽtum, vt diuinæ Regia maieſtatis
ædi-

ædificarêtur. Et ſane corporea hęc, temporique obnoxia imperij moles debuit ſubſterni ſummæ dominationi quę immortalitatem referebat, animiſq; imperabat. Itaq; minime mirum eſt, ſi vel iubente vel conniuente *P*rouidentia, omnia veterum regna deturbata fuerunt, nec ſpectantur niſi vt rudera, & emortuæ ambitionis reliquię ſepulcrales; fuere videlicet illa fundamenta Eccleſiæ, cuius moles dũ ſurgebat, oportuit latere ac ſepeliri fundamenta.

Quis igitur ſummi faſces imperij denegauerit Eccleſię, cuius gratia reliqua excitata ſunt imperia, huius & ſimulacra & lineamenta & fundamenta potentię? quis etiam, abderitana licet mente pręditus perſuadere ſibi poterit, prouidentiam, cum cæteros principatus & res omnes ſuis firmauerit ſubſidijs, Eccleſiæ quæ ipſius amor eſt, defuiſſe; nec illi ſummas vires & ſummũ paraſſe pręſidium? Prouidentiam, inquam, quę vires elementis, aui-

bus

bus roſtra, vngues feris, populis arma, milites principibus dedit, quibus & ſua defenderent ſi violarentur: & aliena violarent, ſi ab ijs offenderentur? Sed quænam illi auxilia parauit? arma? inermis eſt. exercitus & milites? hi ſunt deficientis potentię cuſtodes, neque more caſtrorũ Eccleſia cuſtoditur. propugnacula? hęc tuentur Vrbes non animos, oppida non corda. Dico audacter. Hæc ſanctior Chriſti Sparta non habet alia mœnia & alia propugnacula quam ingenia & pectora Sapientum: doctrina militia eſt: artes & diſciplinæ ſunt quidam exercitus & quędam copiæ ingeniorum, quæ aciem eiuſdem militantis atramento tuentur & ſanguine, nec minus contemplando ſuſtentant quam pugnando; Cum enim ſit Eccleſia ſoboles æternæ Sapientiæ, non niſi ſapientiæ viribus propugnatur: & cum eadem imperium in animos exerceat, eget etiã animorum præſidio; Nec aliud eſt doctrina quam præſidium animo-

rum , quod meritò ſummum dixerim,quia nihil eſt diuturniùs & potentiùs ingenio: nihil eſt nobiliùs, nihil diuiniùs ſcientia quæ ipſa eſt indoles Diuinitatis. Neq; pudeat imperium Dei niti ſcientię propugnaculo cum & Deus ſcientia nitatur ſua, tanquam præſidio & anima Diuinitatis.

Atque hac de cauſa,cum Religioni ſubſeruiat, ab omni ſuperſtitionis angulo,in quo vel nata vel educata fuit , vniuerſa doctrinarum familia receſſit: quibuſdam relictis tantum ſeminibus quaſi ad Eccleſię amores excitandos. Circumſpicite pulcherrimas illas inuentrices, nutriceſque doctrinarum prouincias: iacent omnes altiſſimo imperitiæ pnluere obrutę, quia ſordibus impietatis obſoletę. Non differt à Rhodope Pindus, neque Parnaſſus à Caucaſo, quia Vaticanum dedignantur. O infelicem Aſiam, olim humanitatis & ſapientię Reginam, nunc ſtupiditatis & barbarię mancipium! O te infeli-

ciorem

ciorem Africam quę prodigia ingeniorum pariebas, nunc ſola paris ferarum monſtra. Te vero felicem Europam, quę complexa Eccleſiam, habes in ſinu & ſapientiam & potētiam. Immò te feliciſſimam Romā, non quod Romani fueris domicilium, ſed quia es diuini ſedes imperij; Nunc enim omnibus & virtutibus & artibus inſtructa verè Roma es, ideſt Cœli robur & terrarū.

Expectatis iam vt breui quodā decurſu orationem ad ea deflectā auxilia, & veluti propugnacula, quibus vnumquodque doctrinę genus Eccleſię fortunam tuetur.

Quid, oro, cenſetur inutilius rudiore literatura quę ad famæ genium inepta, ad ſapiētiæ culturam laborioſa, vultu ſqualida, puluerulenta greſſu, exanguis & exucca corpore, non officina videtur defendendę diuinitatis, ſed ludus laborantis humanitatis? Annon eius partus eſt tergeminæ ſtudiū linguę Hebræę, Gręcę, Latinę, quo, velut ære triplici munita Catholicorum

Bellatorum ingenia, *Sacrorum* voluminum, Conciliorum, Canonum, *Patrum* oracula ſanctè interpretantur & conſtanter propugnant, Hebraicam peruicaciam infringũt, venenata hęreſum tela retorquent: ac omnia prope ab hoſtibus illata damna reſtaurant. Rem narrabo ſuperiori ſeculo notiſſimam, literiſque conſignatam. Ad Lutherianum turbinem recèns exortum cōpeſcendum cum omnem contuliſſet induſtriam Leo X. demum in Germaniam legauit Hieronymum Aleandrum omnium cognitione linguarum inſtructum. Non ſine metu Catholici, nec ſine ſpe Sectarij euentum præſtolabantur. Quid putatis accidiſſe? Lutherus qui iā triumphabat, proſcriptus fuit: eius libri palam incenſi: & ſi diutiùs vir ille doctiſſimus in Germania ſubſtitiſſet, non tot hęreſum facibus nobiliſſima Prouincia conflagraſſet. Tantum prodeſt erudita peritia linguarum.

Iam vero Poetice non modo inu-

tilis,

tilis, ſed etiam ab aliquibus periculoſa cenſebitur, quæ fabulas concinnando tot adornauit Numina quot carmina: tot ſcelera inſtruxit, quot figmenta. Toto cœlo aberras quicumque platonico ſupercilio repellis poetas, quos idoneos experta eſt ſemper Religio virtutum opifices, animorumque magiſtros; dum enim Chriſtianæ gentis facta in theatro commendant quot verſus recitant, tot excitant virtutes: quot muſarum auditores faciunt, tot pietatis gignunt Heroes. fuerit quodam Poeſis Circe, homines in monſtra vertendo; nunc Iudittam imitatur, dum caput impudici Holophernis virtutem depopulãtis abſcindit. Eſt illa Pelias haſta, quæ fabulis vulnerauit ignara veritatẽ ſed vulnera ſanat veri prę-conia Numinis celebrando. Immò Chriſtianam Poeſim expreſſit Lyra Dauidica. Peſſimo & inquieto Spiritu Saul agitabatur nec quieſcebat vnquam niſi Dauid ſacrum carmen ad Lyram concineret. Sane

commoueor , dum ſpecto Laruas atque vmbras , quas agmine facto in Chriſtianam Rempublicam immittit cupiditatis prophanæ ſpiritus Acheronte inquietior? quis illum coercet,& exprimit ? Chriſtiana Poeſis piorum concentu carminum eo faciliùs, quò iucundiùs.

Sed ecce ſeſe offert Chriſtianæ inſtar Palladis Eloquentia non caſſide caput accincta , ſed cinere cōperſa : non chlamyde ſed cilicio conueſtita: non ægide, ſed Cruce fortis : non Meduſæo capite, ſed Chriſti corpore formidanda. Num hæc otioſa exiſtimabitur, quæ,diuini Dux verbi , Eccleſiæ imperium cōſtituit, Apoſtolos comitata propagauit, Martyrum, Antiſtitum, Sacerdotū ſocia propugnauit , erudiuit, ornauit : quæ caſtris egreſſa in aciem deſcendit, & peſſimum atque acerrimum hoſtium genus Tyrannos ſceluſq;anhelātes *P*rincipes aggreſſa, impietatis arcem concuſſit. Vaſtabat Chriſtiana Regna non hominum, ſed furiarum du-

ductor Attila,& cum omnia ſanguine, ruinis, calamitatibus oppleuiſſet,nemine obſiſtẽte, imminebat Romæ. Occurrit illi Leo Pontifex eloquentiæ nomine venerabilis. Quis credat? barbarus Enceladus, vbi Leonem audiuit loquentem, retro abiuit, arcana pallidus formidine,didicitque non eſſe pares eloquentiæ vires barbarorum. Qua vi præterea Nazianzenus Gregorius perfidiam Iuliani, & Valentis petulantiam Baſilius vulnerauit? qua arte Ambroſius Iuſtinæ vecordiã, & audaciamEudoxię Chryſoſtomus debilitauit niſi eloquentia? Te Othomannice furor teſtem volo quoties impetum ſenſiſti, & tela Eloquentiæ Chriſtianã Gentem cogentis, armantis, inſtruentis? Nimirum Pallas eſt, cuius fulmine ſeculi Titanes in Cœlum coniurati percelluntur.

Sed fortaſſe vtilitatis expers erit Hiſtoria, cuius tanta vis eſt, vt ſi velimus,cuius beneficio vincamus. Ab illa petimus ea primaria ſiue

 mu-

munimenta ſiue ornamenta, quæ Notæ ac ſigna militantis Eccleſiæ meritò nuncupantur. Quid enim eius vel antiquitatem, vel diuturnitatem, vel conſtantiam, vel amplitudinem, vel imperturbatam Antiſtitum ſeriem, vel innocentiã, vel mores, vel documenta? quid animarum concordiam? quid prodigia? quid felicitatem magis confirmat quam Hiſtoria? Hæc omniũ perduellium, & eorum pręcipue inſidias, cuniculos, machinas euertit, qui noſtra ſecula conturbant, pluſquam ſceptica licentia Religionis adyta contemerant, in conſuetudines à maioribus per manus traditas inuehuntur, & Petri principatum ſacrilega cenſura calumniantur. Quippè hoc vnum agit Hiſtoria vt Catholica Religio ſine macula, ſine fuco, circumamicta varietate ſeculorum, non morum, ſibi ſemper & concors, & ſimilis, antiquitatis in theatro, appareat. Audete monſtra ſectarum centurias errorum educere; Hiſtoria

ria euulgatis Annalibus repellet quaſi oppoſitis propugnaculis. Audo, ſi Deo placet, Alecto Caluiniana imbuere populos odio Vaticanæ Maieſtatis, Hiſtoria odium reſtinguet, dum memorabit, Vaticano ſolio contempto Vrbes pręcipites, regna deſerta, Nationes degeneres, imperia morientia, principes, tanquam coronatas Orci victimas, luctuosè, alioſque eius hoſtes, veluti mortalium peſtes, infando Lethi genere ab orbe terrarũ exterminatos. Nihil dixi. Quid Hiſtoria poſſit, audite. Summa erat expectatio Gentis Chriſtianę in Concilio Florentino, quod ab Eugenio IV. coactum fuerat ad Orientem & Occidentem ſimul eodem Religionis vinculo conſociandum; Inter alios præcipuè Marcus Archiepiſcopus Epheſinus vir acerrimo ingenio Gręciam, Latium autem Romamq; propugnabat Iulianus Cæſarinus non minus purpura & ſanguine, quam ingenio doctrinaque pernobilis. Vicit demum Cæſari-

nus. qua potiſſimum arte opinamini? Hiſtorica eruditione. Dum erroris telam retexit, dum tempora obſeruat ſcriptorum librorum ex quibus teſtimonia petebātur, dū veterum acta Conciliorū cōmemorat, & ea, quæ Latinis imputabā tur, ab Oriente nata demonſtrat, de Aduerſario triumphauit ac omni Græcorum ingenio. Eant modo ignauæ animæ & accuſent Hiſtoricam eruditionem quæ tot ſeculis optatam genuit Orientis, Occidentiſq; concordiam.

At Hiſtoriæ non concedit Philoſophia, quæ capitalem Eccleſiæ hoſtem inuadit, exarmat, debellat, infandum ſcilicet Atheiſmi monſtrum, quo vniuerſa Diuini moles imperij debilitatur, conuellitur, conteritur. Quid enim eſt demum Philoſophia niſi cognoſcendi ars Numinis? quid illa in ſecundarum labyrintho Cauſarum molitur niſi vt hoc animorum Minotauro contrucidato Deū ſtatuat Naturæ conditorem, moderatorem, & Principem,

Digitized by Google

cipem, qui virtuti prӕmium,& ſupplicium improbitati reſeruet, qui expers principij et finis omnia gignat, augeat, perficiat ſeipſo diues ac beatiſſimus? Quid efficit aliud Philoſophia, dum effecta Naturę ſcrutatur, quam vt Genus Humanum arcana Diuinitatis contẽpletur, in lucis claritate ſanctimoniam, in ignis efficacitate potentiã, in aeris diffuſa planitie immenſitatem, in aquarum fluxu perennitatem, in terrarum varietate ſapientiam, in corporũ indole Bonitatẽ? Et propiùs altiſſimum rerum Principium obſeruans illud eſſe vnum, verum, bonum conſtantia ſpartana predicat, atque hoc veluti tricuſpide telo non tam pugnat in Atheiſmum quam fulminat. Quin etiã Aſtronomię, aliarumque artium ſceptro arrepto, humani libertatem arbitrij ab Aſtrorum tyrannide vindicat, tempora in ordinem Eccleſię redigit, artes in officio continet, res omnes vel ſeruire iubet Religioni vel conciliat; & aſ-

ſerta immortalitate animorum, deiecto Caſu, abrogato Fato, Fortuna depoſita, profligata Voluptate, Virtutem felicitatis parentem nominat; rerum arbitram deſignat Prouidentiam, ſuadetque Generi Humano, vt iuret in verba Numinis, cogitetque imperio diuino nihil eſſe admirabiliùs, amabiliùs nihil. Miror fuiſſe quondam Hæreſum puerperam nuncupatam Philophiã; Etenim illa vel nõ eſt Philoſophia, vel eſt Mater veritatis. Quid eſt autem Eccleſia, niſi æternæ proles Veritatis; idcirco Lateranenſe Cõcilium ſanctiſſime aſſeruit, nequaquam Religioni vel incommodare Philoſophiam vel obluctari: quippe nunquam Veritati veritas aduerſatur,

Iuris vero tum Cæſarei, tum Pontificij prudentia nonne gladiũ ſuppeditat vtrinque acuminatum & vulnerantem: iuſtitiam videlicet humanam & Chriſtianam? quam adeo extimuit recentium ſectarum Anteſignanus; vt publicè accenſo igne

igne literatam iuris ſuppellectilem combuſſerit; ratus iutiſtiam eſſe phoſphorum, ſolem Religionem; nec poſſe intercludi Solẽ, niſi Phoſphorus è Cœlo tollatur.

Sed eſto meta orationis, ò magnes ingeniorum, Academiarum flos, amor & deliciæ Generis Humani Theologia, quæ tota quanta es, plena Deo es: quæ ſiue in Conſcientiæ palæſtra mores informas, ſiuecommiſſo Scholarum certamine myſteria Diuinitatis tueris: ſiue transfugas flammeo Controuerſiæ gladio à paradiſo veritatis abarces: ſiue Caritate magiſtra ſacrarum literarum interpretaris oracula, Catholicam pietatem animas, Chriſtianam Rempublicã ordinas, ordinatam conſeruas, conſeruatam exornas. Tu pandis æraria ſalutis, virtutum ſemina diffundis, meſſem animorum oſtentas: tu ſpectacula æternitatis mortalibus reſeras, & ſpectacula mortalium inſeris æternitati: Tu caligine velatam Numinis maieſtatem reuelas, tu adorã-

dam

dam, tu præbes amandam: ſine te languet ſapientia, obmuteſcit Eloquentia, Hiſtoria & Artes reliquæ vacillant: Te duce pugnam ſuſcipit, te auſpice pugnat, te præſide vincit *P*hiloſophia. Si erraticę mendacia opinionis renaſcuntur & magnorum Philoſophorum ſublato vexillo tumultuantur, aperis armamentaria veritatis: ſi violat diuinitatem Manichæus, Arius Trinitatem, Euchareſtiam Berengarius, Neſtorius Deiparam, Petrum & Petri principatum Lutherus, Superos omnes Caluinus, inſtruis officinam pluſquam vulcaniam defendendę Diuinitati: Si ſuperſtitio bellum mouet, erigis propugnacula: ſi Barbaries intentat exilia, præbes Aſylum: ſi concitant fluctus Tartara decumanos, habes in gremio portum: ſi ruinam Orbis terrarum comminatur, tu vis, tu columen, tu firmamentum es mortalitatis. Tuo igitur in ſinu conquieſcit Eccleſia, cuius robur, cuius cor, cuius vita tu es. Irrum-

piçe

Digitized by Google

pite hoſtes, inuadite, vulnerate. Non timet illa, non trepidat, non angitur Theologię clypeo munita, ſed à vulneribus maior, veſtra, dum excipit vulnera, cadauera calcat; & dum conuellitur, ruina conuellentium admirabiliter conſeruatur.

Patet itaque humanam, diuinamque doctrinam eſſe ſummum praeſidium, & veluti Palladium, cui quodammodo innixa hæc inſuperabilis Troia verè Superùm manibus ędificata, ridet non modo decennia ſed ſecula obſidentium Inferorum: nunquam in tanta principatuum temporumque conuerſione, vel tumultu elementorum, vel Barbarorum impetu, vel ſeditione ſuorum, transfugarum furore, vel ira *Principum* labefactata: non obruta tempeſtatibus, non concuſſa bellis, non impulſa cupiditatibus, non contaminata ſceleribus, non lacerata diſcordijs non vulnerata hęreſibus, non deb[illegible]tata ſuperſtitionibus, non Atheorum deliramentis exanimata: ſemper eadem, ſem-

ſemper viuax, ſemper inuicta, ſemper victrix, ſiue Romana in luce, ſiue Americana in nocte moretur: Olympo, Atlante, Capitolio maior: ijſdem circumſcripta finibus, ijſdem communita præſidijs, quibus & Cœlum circumſcribitur, & communitur Deus: ideo ſecura ſui quod nuſquam ab hoſtibus tuta: ideo timenda quod agitata terroribus nunquam timet: ideo ſtabilis quia ſemper iactata nunquam gradu deijcitur noua quadam & propria potentia quaſi ſtare ſeipſa non poſſit, niſi alieni turbinem ac procellam furoris experiatur: ſemper ſapiens, ſemper potens, ſemper ſancta, quia vera eſt imago, verum ſolium, verum imperium Diuinitatis in Orbe terrarum dominantis: quæ luſit in antiquis principatibus nunc ſerium negotium agit ſummo conſtituto imperio, ipſius Dei opera excitato, ſudoribus exculto, ſanguine conſecrato, in quo vertuntur fata Generis humani, Iura Religionis, Decreta

Cœli,

Cœli, & Regna omnia felicitatis.

Quare agite Adoleſcentes & quicunq; hic adeſtis Sapientiæ fautores, cognoſcite doctrinæ quanta ſit dignitas, cuius opibus moles Eccleſiæ vniuerſa ſuſtentatur. Sapientia videlicet Orbem terrarum creauit, & eadem recreauit: Sapientia genuit Naturam, & Eccleſiam genuit Sapientia, quæ de ſinu Patris in gremium virginum delapſa comitem Diuinitati adiunxit Humanitatem, & impotentiam quodammodo fecit appendicem omnipotentiæ, vt populus mortalium quamuis impotens & imbecillis nihil concipiat, nihil non obtineat magnificum & planè diuinum, ſi comite vtatur ſapientia. Idcirco tantum fauit Prouidentia vt plures in hoc Gymnaſio ſapientiæ documentis innuttitos adoleſcentes ad ſummum Gentis humanæ principatum, ad purpuram, & primaria tum ſacræ tum prophanæ dignitatis ornamenta vbique gentium euexerit. Vos petunt, vos inuitant,

nitant, vos hæc ſplendida nomina ſollicitant. Hiſce quotidianis & conſtantibus gloriæ exemplis animus firmandus eſt ad conſtantiam labòris. Ite igitur quo vocat vos non fortuna fallax & temeraria, ſed arbitra rerum verax & æqua Sapientia. Ite inquam; Immò hæc vos teneat ſedes, vbi non Æneæ, non Achillis, ſed inuicti Numinis armatura fabricantur. Seruite ſpei quam de vobis Religio concepit; Neque modici laboris impatientia Prouidentiam violetis, quæ vos forte ad magna deſtinauit. Et niſi Prouidentiæ allicit reuerētia, commiſeratio flectat Gentis humanæ, quæ tot hæreſibus, tot erroribus, tot bellis, tot calamitatibus conuulſa ad quos ſubſidium acceptura confugiat niſi ad eos qui Romana in ſtatione conſiſtunt tanquam ad defenſionem Orbis terrarum. Ergo Romana in acie animo pugnate, Romano. Sed illud penditote, Eccleſię quidem præſidium eſſe doctrinam; animam tamen eſſe pietatem.

tem. Pugnare poteſt ac vincere, ſed niſi pietate animetur, nunquã Doctrina triumphat. Pugna eſt labor, victoria conſtantia, triumphus vero Pietatis & ſapiẽtię manu parta felicitas.

PONTIFEX. SEV

Amor & Maieſtas.

AMorem & Maieſtatem gemina Dominãtiũ præſidia, N.N. eodẽ loci non poſſe cõſiſtere nec vna in ſede morari vetus fuit quorumdã vox non modo carminibus Poëtarum, ſed ipſius quoque ſapientiæ tabulis comprobata, ſiquidem genius maieſtatis ſpecie reuerentiam captantis, non ſtudet beneuolentiæ, non gratiam conſectatur, non adulatur voluntati populorum, ſed paratus grauitate, ſeueritate compoſitus, immixtus terrori metum circumfert, iactat potentiam, eamque

que oſtentat ſiue morum pompam. ſiue ſuperbiam virtutum quam Amor vel faſtidit, vel indignatur. *V*erum Gregorij Tertij Decimi principatum contemplantibus longe aliter ſentiendum atque iudicandũ eſt; optimus enim hic Pontifex quamuis & probitate & conſilio, & præmijs optimarum artium, & amplificandæ tum religionis, tum Reipublicæ ſtudio, alijſque laudibus nulli ſuperiorum Principum cõceſſiſſe cenſeatur, tamen memor nihil eſſe aliud quodammodo Diuinitatem, cuius vicarias partes agebat, quam connubiũ Maieſtatis & Amoris, ea potiſſimum expreſſit in Principatu, quibus Diuinitatis in orbe terrarum dominantis repræſentaret imaginem.

Ergo nihil illi antiquius fuit quã amore non purpura, maieſtate non ſolio ſe populis approbare. Primũ igitur Amoris artes, deinde vires maieſtatis vera potius quam magnifica oratione depromam.

Quoniam vero ea eſt multorum in

in rebus publicis inſtituendis, tractandiſque non tam publicæ quam priuatæ commoditatis e fonte deriuata prudentia, vt credant diſciplinam timoris neceſſariam maieſtati, Principumq; lateri adhibendum eſſe terrorem velut reuerentiæ cuſtodem, cuius beneficio impatiens ſeruiendi mortalium generoſitas conſeneſcat, palam hoc initio dicendi teſtari libet, nunquam placuiſſe Gregorio huiuſmodi regnandi conſuetudinem, quæ per iniurias populorum ad ipſorum principum infelicitatē graſſatur, & armata ſatellite, manu prompta, ferro minax, truci vultu, pauidos & metu ſollicitos animos adigit ad obſequia paulo poſt defectura; nec tam erigit quam euertit munimenta potentię. Idcirco quotidianis edoctus Naturę exprimentis, cuius in imperio quidquid violentū contingit, ingratum infauſtumque accidit: & gnarus ſceptra non eſſe fulmina, ſed fulcra Regnorum, nec fulmen eſſe ſceptrum Numinis; A-
moris

morem potius adoptauit potentiæ adminiſtrum, omnique ſtudio contendit vt quempiam ne offenderet, nemini non prodeſſet, atque omne mortalium genus nullo morũ, Regionum, dignitatumque diſcrimine, humaniter admitteret, exciperet, complecteretur: quibus potiſſimum officijs Amor & principes tuetur & Rempublicam ſuſtentat, & dominatur in populos. Itaque renuntiatus *P*ontifex & celebrato Patrum conſeſſu futuræ dominationis euulgauit arcana quæ non aliò referebantur, quam ad Pontificiam perſonam cum maieſtate quidem, ſed non ſine amore ſuſtẽtandã; Nec id minus conſtanter præſtitit quam liberaliter promiſit, vti latè oſtendunt preclara virtutum facinora, quibus eius vita non aliter ac ſtellis Galaxia exornatur.

Conquerebatur nobilis Italiæ Vrbs quodam Anteceſſoris opera extructo munimento vel Ciuium increpari fidelitatem, vel nimiam extorqueri ſeruitutem, adeoque inu-

riam fidei ac libertati fuiſſe quodammodo illatam dolebat; demum intendit preces, rogauitq; vt dempto timoris monumento, etiā mole ſollicitudinis leuaretur. Poterat nouus Pontifex ſine vlla beneuolētiæ iactura paucis reſpōdere: Principum facta non eſſe facile turbanda: poſſe ac deberi ciuium fidem tentari, quæ vbi conſtans eſſet, nullam timori iuſtam cauſam obtendi. Annuit tamen Vrbi. Quæritis cauſam? nolebat ciues offenſos, quibus offenſis Princeps non tam facit, quam accipit iniuriam.

Ardebat inter Sedem Apoſtolicam, & magnum Principem grauis contentio, quæ hinc ad iniuriā, hinc ad vltionem ſpectabat. Quid ageret Pontifex? desereret ne? an propugnaret cauſam? deſereret? at hoc erat pontificiæ conſtantię nuntium remittere. propugnaret? publica contemnebatur, ſiue beneuolentia, ſiue tranquillitas à quibus dominantes pendere debent. Videte ingenium amoris. Perſuaſit ſibi duplici

plici parte ſeueritatem Principis conſtare, iuſtitia & lenitate. Et cenſuit Gregorianum eſſe, partes abſoluere iuſtitiæ per lenitatē, rebuſque compoſitis offenſionem ſuſtulit, cuius ne vnquam ſemina creſcerent, nec augendæ cupidus, nec iactandæ potētię curioſus fuit.

Teſtantur Vrbinates. Hi ſeu cupidi rerum nouarum, ſeu pontificij amore imperij moliebantur à Principe Guidobaldo deficere, ditionemque offerebant Gregorio, qui loco ſummi criminis ducens, deſertum à ſuis Principem offendere, Guidobaldum monuit, & iuuit; id eſſe demū ratus magnę animę proprium dare potentiam, non accipere.

Teſtatur florentiſſimum Galliarum regnum. Hęc pulcherrima Europę pars, quodam fato rerum humanarum, enormi ſeditionum factionumque procella agitabatur, Et ciuilis late furor vaſtauerat omnia: ſciderat in partes familias, Vrbes debilitauerat, Prouincias con-

Digitized by Google

con eufferat. Suaſere plures Gregorio, vt alterius factionis potentiſſimum Principem infamia notaret. At ille altioris prudentiæ conſilio vſus, abſtinuit ſemper eo vulnere, à quo nulla remedia ſperabat niſi morbo grauiora.

Verum vt apertiùs Gregoriana indoles noſcatur, minora enarrabo. Arcebatur à rebus publicis ob ingenium vehemens & præferuidũ vir doctrinæ opinione ſummus, à Gregorio demum admouetur muneribus, ne fama quæ illius efferebat doctrinam, violaretur. Sed iſte vix obtento gradu cæpit Gregorio aduerſari. Mirantur ac indignantur vniuerſi. Quid egiſſe Gregoriũ cenſetis? Publicè laudauit. Vſque adeo Gregoriani ingenij fuit neminẽ lædere, dum eos quibus indignari debebat, ne læderet, laudabat.

Primaria Principum lex eſt præmio ac pœna publicæ librare momenta iuſtitiæ: nam omnis Reſpublica duplici ex hominum genere coaleſcit, Bonorum ac Malorum.

 Bo-

Boni prҿmio, mali pœna tenentur. Placebat Gregorio, cum omnia referret ad iuſtitiam, ſtare ſceleri ſuã pœnam, reoſq; ad ciuilis aram vindictæ torqueri ac mactari; ſed cum etiam ſummopere Amori ſtuderet, inuenit artem digniſſimam Rectore Generis humani, ne perirent. Poſtquam huiuſmodi homines ad ſupplicia deducti erant, pecunias ſubminiſtrabat, quibus ſupplicia redimerentur. Ita optimum ſe Principẽ probauit. More Iudicis multabat ſcelera: more Parentis, ne ſupplicij odio exulcerati animi offenderentur, adhibebat ſomenta Caritatis.

Atq; hic eſto primus Gregoriani Amoris gradus Innocentia, in qua explicãda pauliſper hҿſit oratio, vt ex hoc veluti fundamento reliqua ædificij moles conſtaret; quiſquis enim non offendit nocetq; ſolidiſſima iacit tum beneuolentię, tum potentiæ fundamenta: & plerumque non alijs quam offenſionũ machinis regna labefactantur. Modo

Digitized by Google

do beneficentiam libenter explicarem; ſed aureo Gregorius liberalitatis flumine omne ingeniorũ flumen exhauſit, opulenta munificẽtiæ pompa omnẽ eloquentiæ pompam, decoxit, immenſa largiendi copia omnem dicẽdi copiam conſumpſit. Et (quòd mirum) Homo priuatę fortũæ aſſuetus modico imperij tempore, confecta iam ætate eas res geſſit benemerendo, quas fortiſſimi Imperatores non geſſere vincendo. Perruperit Alpés cruento ferro Annibal, & Romanæ fortunæ homo Carthaginienſis illuſerit: Gregorius benefico auro extrema Barbarorum clauſtra perrupit, illuſitque ſuperſtitioni. Græcæ felicitatis portentum Alexander Indos, oraſque Orientis inuaſerit: Gregorius argẽteis telis iactis ad ſe traxit Orientis populos, ſuppliceſque habuit, obſequia & deuota pectora ferentes. Cęſar & Pompeius duo Romanæ potentiæ fulmina victorijs orbem terrarum percurrerint: Gregorius longe la-
 tius

tius peruagatus eſt beneficijs . Mo-
re, ſcilicet, Numinis de omni ge-
nere humano benemeritus eſt mul-
titudine, varietate, magnitudine
beneficiorum plane diuina: vbique
iacta ſemina, impreſſa veſtigia, ere-
cta monumta liberalitatis cernũ-
tur: nec vlla extitit Gens vel inhu-
manitate barbara, vel prauitate
morum infamis, vel improbitate
Religionum execranda, cui Grego-
rius ſolem ſuum non affuderit, vt
ſe pręſtaret dignitate ac benefi cen-
tia vicarium illius, *qui ſolem ſuum
facit oriri ſuper bonos & malos*.
Quapropter ſatius fuerit ſimplici
apertaq; voce (vti adfirmamus di-
uina) fateri Gregorium fuiſſe bene-
ficum.

Sed Beneficentiæ meta Benigni-
tas eſt. Attigit amoris culmen,
quiſquis innocentiæ, beneficentiæq;
addidit Benignitatem; innocentia
quippe, beneficentia, & benignitas
ternæ ſunt Charytes quas amori co-
mites Poetæ adiunxerunt. Vtinã hu-
ius ego benignitatis imaginẽ, ſal-
tem

tem more Timantis,poſſem expingere; ſed quam ego nec orationem exprimere, nec cogitatione concipere queo, hi parietes qui Gregorium excepere loquentem, non tam picturæ quam fidelis memoriæ penicillo conformatam repræſentant: hæc ficta ſimulacra ſed manu veritatis expreſſa monent poſteritatem, quæ fuerit Gregorianæ pretioſa tempeſtas Benignitatis. Iucundum ſane ſpectaculũ erat hinc Gregorium cernere ſedentem, hinc homines procumbentes. Hi procumbebant magiſtra reuerentia, Religionis antiſtitẽ, Rectorẽ populorũ, Generis humani Caput ac arbitrum Cœli veneraturi: Amoris ille pondere ad ima depreſſus, more parentis, inſtar fratris, tanquam ſocius, *P*rocumbentium corda, frontes, vota erigebat; & quodammodo increpabat reuerentiam, quæ illos docebat trepidare; vt planè omnibus videretur, eſſe Gregorius Tertius Decimus. O' Principem verè amantem! ò virum

dono *Prouidentiæ* genitum, in quo hæc ſecula caritate iam languida omnes vires Amoris experirentur.

Ignoſcite A. dicere debueram. O virum dono Prouidentiæ genitum, in quo Maieſtas nouo veræ potentiæ documento vires ſuas experiretur; Nam reuera Gregorianus Amor licet in omnem amandi licentiam effuſus, totus tamen Maieſtas erat. Fabula Poetarum fuerit & vulgi errore ſapientiæ tabulis irrepſerit, Amori maieſtatem repugnare; Amor certe in Gregoriano principatu eumdem fecit cum Maieſtate geſtum dominandi; quoniam diuinum eſt, ſpectatque ad diuinas curas tractantem, amare ſine iactura maieſtatis, & illibato amore ſeruire maieſtati: quemadmodum amor ille cæcus, nuduſq; cenſetur, qui Maieſtatis os habitumque non gerit, ita etiam perſonata cenſenda eſt Maieſtas quæ ſpiritu amoris non viuit. Et merito Maieſtas rei Sol publicę creditur, ſed habet pro luce beneuolen-

tiam:

tiam : deficiente luce laborat Sol, deficiente beneuolẽtia laborat maieſtas.

Cuius ego vires non repono in bene cæſariato capite, in pedum moroſa tarditate, in vultu qua minas, qua tumorem anhelante, in ſuſpenſa verborum ambage, in corporis magnifica ſolitudine, alijſq; leuitatis potius, quam grauitatis inſignibus; ſed in admirabili animi magnitudine, qua Princeps grauiſſimè perſonam ſuſtinet, & omnes reuerentia ſui & in obſequio, & in officio continet. Quamquã haud negauerim Gregoriũ iis etiã excelluiſſe ornamentis, quibus florere Maieſtatem Sapientes arbitrantur. Optatis conſtantiam qua oblati honores nec ambitioſius æſtimentur, nec ignobiliter contemnantur? Gregorius monitus à Patribus, vt in Sacellũ accederet Pontifex adorandus nec vultu, nec voce, nec animo commotior; Eamus, inquit, ac pareamus Deo; mox tã conſtanter greſſum mouit vt non

primum adire, ſed domeſticam & familiarem vſurpare dignitatem videretur, & ſolo inceſſu patuit Põtifex Speciem amatis imperio parem? Iam octogenarius equo ferebatur ſublimis fronte tam erecta, tam viuida, tam regia vt venerationem extorqueret aſpectu. Sapiẽtiæ cultum poſtulatis (nam creſcit e doctrina Maieſtati honor)? quicquid tẽporis negotijs reliquũ erat, id omne libris impendebat; eiuſq; vox digna *Principe* fuit, Neminem plura ſcire debere quam Pontificem Romanum; Immo Nobilium virorum corona ſtipatus doctiſſimi viri Martini Nauarri moriẽtis cubiculum adiuit; vt indicaret eiuſdem eſſe Maieſtatis, ſapientię calcare limen & ſolium. Expectatis frequentiam adeuntium Dynaſtarum? Oriens, Occidens, Auſter, Septemtrio ſuos miſere Dynaſtas ad Gregorium adorandũ, & Gregorij nomen quaſi vocalis magnes fuit, quo excitus è ſuis ſedibus flos Gentis humanę Romam conuenit ſono di-
uerſo

uerſo, ſed eadem voce communis Patrię verum parentem ſalutaturus. Requiritis opulenta ędificia, templa magnifica? Luſtrate hoc literarum amphitheatrũ in quo ſeipſam circumſpicit admiraturque ſapientia: luſtrate Vaticanum Sacellum, in qno Religio cum magnificentia certat: luſtrate Romam, quam marmoream Auguſtus, Gregorius auguſtam & Auguſto Ciue dignam reliquit: luſtrate Orbem terrarum quẽ vbique locupletatũ ędificijs à Gregorio, Gregorianę cenſebitis Coloniam eſſe Maieſtatis. Expetitis mira quędam & ſupra veterũ ſpem, induſtriamque incepta & perfecta? interrogate Cœlum cuius lingua tempus eſt: atque Hoc ordinato dierum, annorumque curriculo leges à Gregorio accepit. Deſideratis Romanæ comitatum maieſtatis? ſupra Romanam fuit? Purpuratum quidem Senatum viris tum nobilitate, tum omni virtutum genere adeo prȩſtantibus nobilitauit, vt non modo Pontificum, ſed etiam

Regum & Cęſarum vere Senatus eſſet. Quid nobilius (vt paucos commemorem) quid nobilius, inquam, Carolo Borbonio, Andrea Auſtriaco, Andrea Battorio, Carolo Guiſio, Carolo Lotharingo, Alberto Auſtriaco? aliorum vero tam inſignis religio, tam eximia doctrina, tam ſingularis prudentia fuit, vt omnes ſummæ dignitati eſſent pares, & Quatuor ex ijs (quod rarum) poſt Gregorium Chriſtianę Reip. pręfuerint; Nec enim à Sole naſcuntur niſi Soles. Deſideratis demum arbitram Generis humani, & veluti maieſtatis animã reuerentiam cuius vi Principes Gregorio ſubmiſere faſces, inclinauere ſceptra, oſtentauere obſequia? Eam paucis commonſtrabo.

Priuato multorum imperio plurima Ponteficiæ ditionis loca tenebantur, quæ recuperare cum iuſtitiæ intereſſet, acriter Gregorius in eam incubuit curam, quæ turbas erat excitatura. Sed nihil eſt imperuium Maieſtati: hæc enim perſuaſit

ſuaſit

Digitized by Google

ſuaſit omnibus, haud eſſe priuatum detrimētum publicum beneficium: immo, nec eſſe iniuriam, publicam iniuriæ vltionem.

Orta diſſenſione inter Equites Melitenſes, Romegaſſus armis acerrimus eò deuenit, vt Ioannem Leueſchiū Magnū Melitēſis familię Magiſtrū in carcerē conijceret. Qua re turbatus *Pontifex* iuſſit, & Leueſchium carcere ſolui, & vtrūque Romam accedere. Nec Magnum Magiſtrum carceris ignominia, nec Romegaſſum facti conſciētia retardauit: Gregorianæ reuerentiæ ſtimulo agitante dicto citius paruere. Gloriati fuerint Areopagitæ ſe Martis iudicio præfuiſſe, pluris ego facio Gregorium, qui fortiores fabuloſo Marte Milites ad iudicium adegit. Addite. Cum paulo poſt Romæ Ioannes Leueſchius obijſſet, Militaris familia libertati, & victoriis aſſueta, non alium ſibi delegit Magiſtrum, quam vnum ex quatuor quos Gregorius nominauerat. Ita armata hæc, ſed

 Chri-

Chriſtiana Pallas in ſummum diſcrimen adducta è Gregorij capite quodammodo renata fuit.

Verum Gregorij Maieſtas non religioſos modo Milites, ſed omnem quoque Chriſtianum Orbem ad tribunal euocauit. Adductus enim Gregorius ea ſollicitudine, quæ gẽtis humanæ paſtorem decet, in omnes terrarum partes legauit homines cum imperio, & poteſtate, qui res ad pietatem ſpectantes recognoſcerent; Nobiliſſima tamen Reſpublica quibuſdam cauſis impulſa vetuit ab Hominibus à Gregorio deſtinatis cuiuſdam ſacrarum Virginum Cęnobii explorari negotia. Hoc comperto Gregorius non fulminauit, ſed quodammodo fulgurauit. At ſplendor iſte iratus late docuit, non eſſe à Gregorio expectandum fulmen.

Cuius tonitrua ſenſit Antonius Perenottus Cardinalis Granuelanus, qui licet magnitudine conſilij eximius eſſet, tamen cum Regno Neapolitano præeſſet, viſus eſt

Gregorio minùs obſequẽtet ſe gerere,quã purpuratũ Patrẽ deceret; Monitus enim, vt quæ decreuerat, reſcindet, cæperat tergiuerſari: edoctus ſcilicet longo rerum vſu, Principum iras facile mora, vel vaneſcere, vel mitigari. Quod vbi Gregorius cognouit ſeriò valideq; obnuntiat, ne purpurea veſte ſpoliatus in ordinem redigatur. Qua voce tonante Granuelani prudentia obmutuit,didicitq; ſidera cum ſole certantia in Cometas euaneſcere.

Minas iſte,literas Gregorij reueritus eſt Ioannes Auſtriacus. Trepidabat Italia ob Genuenſem tumultum, & Ioannes armata Claſſe trepidationem auxerat. Gregorius vt Italicæ quieti conſuleret, literas illi dedit, quibus perlectis Ioannes deſtitit. Miramini? agnouit characteres maieſtatis, & niſi agnouiſſet, ſuam indolem haud probaſſet, quam ad exemplum compoſuerat Philippi fratris Catholici Regis,qui nutum Gregorii obſeruabat reuerẽtius eoque ſplendidius.

Con-

Conceperat ſpem magnam Gregorius fore, vt Othomannica Luna, quæ viuente *Pio* maculas contraxerat, omnem prorſus amitteret lucem, ſi tellus Chriſtiana ſuas opponeret vires. Ergo vehementer ſuadebat Principibus Chriſtianis & præcipuè Philippo Secundo, cuius nomen id temporis erat Barbaris loco terroris, vt ſancitum fędus continuarent. Non nemo author *R*egi fuit, vt has permitteret Gregorio curas, ipſe vtiliora amplecteretur. Quod conſilium indignatus Rex, aperte pronuntiauit, ſe pluris facere Gregorij nutum quam Regni commoda, quę tunc maxime parantur, cum trahuntur ad commoda Religionis.

Hanc inuictæ reuèrentię vocem ſanè admirarer in Philippo, niſi ſcirem alijs Principibus, & præcipue Henrico Tertio Galliarum Regi fuiſſe familiarem.

Te certè, ſi omitterem, Stephane Battori, peccarem, qui legatione ſolemni ſignificaſti quam magnificè

de

de Gregorio ſentires; Cum enim in Regni certamine minus tibi fauiſſet, & tu iam pene regnum adeptus, non multum Gregorii opera egeres, tamen ſupplex per legatos rogaſti, vt ſceptrum tibi tenere non niſi propitio Gregorio liceret: perinde, ac Gregoriana beneuolentia moles regnorum animaretur.

*V*num tamen præomnibus nominaſſe ſufficiat Rodulphum Secūdum Romanæ tum potentiæ, tum Prudentiæ Imperatorem. Germania inſtar maris turbati fluctuabat cui cōponendæ Gregorius ſtudebat. Agitabatur ingens cauſa per turbas. Poſt animorū, armorumq; pręlia Hæreſis cauſam defert ad Comitia Cęſarea dolet, lamentatur, fremit, vi, non iure à Gregorio agi: vbiq; minæ. Stetit *R*odulphus velut immota rupes fluctuſq; inſurgētes deſpiciens palam, & more Imperatorio Rodulphi hoſtes nominauit, qui Gregorio repugnarent; mox conuerſus ad Epiſcopum Herbipolenſem, qui valide pro Pontifice

fice perorauerat. Hoc, inquit, diadema, vel non ferã, vel Gregorio, eiuſq; dignitati ſeruiet ſi feram.

Conijcite A. quanta Gregorii maieſtas fuit quam vel abſentem longeq; remotam, Dynaſtarum, Principum, Regum, Imperatorum Maieſtas adorauit; Hanc tamen Gregorius maieſtatem, non aliis comparauit artibus, quam amoris; humanę videlicet indolis eſt eos eos reuereri ſtudiosè quos verè amare nõ dubitamus. Quare meritò Gregorius Amoris artibus imbutus, & inſtructus viribus maieſtatis, gemino fecit commercia mundo ab Oriente ſimul ac Occidente adoratus Generis Humani Paſtor. Sic exemplo Gregoriani principatus docuit Prouidentia, Humanum genus redire ad Paſtorem ſuum Amore, ac maieſtate; Neque enim homo, imago ſcilicet Dei alia patitur vincula quam Dei, qui, nec ſolo amore, nec ſola maieſtate; ſed amore, & maieſtate nititur; cum aliud non ſit quodam-

modò

modo Diuinitas, quam connubium maieſtatis, & Amoris. Ergo benè conueniunt, & in vna ſede morantur Maieſtas, & Amor.

PONTIFEX SVMMVS

seu Delectus

Summorum Hominum, & ſummorum Operum.

DECRETORIA & pene fatali humanæ Calamitatis conſuetudine, nos pleriq; Mortalium poſteri noſtra deſpicimus, ſuſpicimus vetera, N. N. & quaſi poſtrema Hominum ſoboles, conſeneſcentis Naturæ iudicio de gradu deiecti, cum Ætate noſtra conquerimur, quod acceptam ab Antiquitatis aurora humanæ vitæ lampadem, non aliter quam mundi occaſus, conturbat dum concinnat; dum exaggerat, exhaurit: extinguit, dum coronat. Pace veſtra ma-

Maiores ; antiquitas & poſteritas eiuſdem prouidentiæ proles ætate diſcrepant, non indole. Quod libet hodierna die commonſtrare expoſita imagine Gregorij Tertij decimi, *Pontificis vere ſummi*. Certe Henricus Tertius Galliarum Rex, non minus ore quam ſceptro ingenuus, conſpectis plurimorum Pontificum imaginibus palam pronuntiauit ſe maxime in Gregorio ſupra alios agnoſcere indolem Principis. Et Auguſtus Saxoniæ Dux, Septemuir Imperij, magno inter Hæreticos nomine, comperta Gregorij vita, non potuit non exclamare : Orbem terræ vniuerſum fore quamprimum in manu ac poteſtate Romanorum Pontificum ſi Gregorium imitarentur. Vſque adeò vel ipſis Principibus nõ modo Catholicis, ſed etiam hoſtibus probata fuit Gregoriani ratio Pontificatus.

Annum agebat Gregorius ſeptuageſimum cum ad apoſtolicum ſolium fuit euectus, & reuerentia dignitatis commotus vt parem muneri

neri ſuſtineret perſonam & dignã Ptate per omnes honorum gradus magnifice deducta, cœpit ſecum ipſe diſſerere ac reputare, in quo ſita generatim eſſet Romani excellentia Pontificis. Atque inter alia occurrit *Pontificem* eſſe Principem Eccleſiæ; adeoque eamdem quoque eſſe præſtantiam Principis, & Pontificis; ſed huius nobiliorem ac ſinceriorẽ quia diuiniorem: Illum autem haberi præſtantiſſimum Principem qui ad publicæ, non priuatę rei rationes ſeſe fingit atque componit, & ſpectat commoda *Populi* non *Principis*; atq; hoc tanto conuenientiùs decere *Pontificẽ* quanto amabiliùs obtinet nomen *Paſtoris*. *Pręterea* meminerat *Pontificem*, teſtimonio veritatis, nuncupari Mundi lucem ac viuere inſtar Solis, qui totus lucet Orbi, non ſibi. Prouidentia enim generi humano impoſuit geminum Solem, quorum alter Naturam, Eccleſiam foueret alter hoc eſt Pontifex: ille corpora, hic animos moderatur: ille

ille terram e Cœlo pandit,hic e terra Cœlum: ille mortalitatem , hic immortalitalem tuetur: vterque tamen innato velnt officio, prodeſſe debet : Non luceret Sol niſi prodeſſet ; & ideo imperat Pontifex vt proſit.

Hæc animo cum agitaſſet Gregorius, incredibili exardeſcens voluntatis ſtudio , huc vires, huc vota intendit ; vt non aliud eſſet aut videretur eſſe Gregorius quam Eccleſiam iuuare,quemadmodum aliquibus nihil eſſe aliud fuit viſus Deus quam iuuare mortales:ad hāc Cynoſuram ſupremæ potentiæ magnetem conuertit : hoc circulo definiuit vaticanæ fortunæ rotam: ad hanc veluti metam Apoſtolicę felicitatis omnia retulit ſiue ornamenta ſiue firmamenta imperij: hoc denique conſilio diu noctuque Orbem terræ mente ac manu verſauit, vt redderet meliorem.

Sed qualem potiſſimum machinam putatis admouiſſe iuuādæ Eccleſiæ ? quale pręſidium adornaſſe labo-

laboranti? qualem anchoram obtuliſſe fluctuāti? Vno verbo dicam. Delectum ſummorum Hominum & ſummorum Operum. Hoc enim (vt primùm de Hominum delectu agamus) proprium eſt Dei, eòq; Pontificis eſſe debet, non fortunæ arbitrio, non ſpecie nobilitatis, non pulchritudinis fulgore, non inani diuitiarum faſtu, non gratiæ impotentia publicæ felicitatis habenas commodare, ne Phaëtontem imponas. Hæc Principum abutentium obſequio populorum confidentia, populos perdidit & principes: hęc regna, hęc orbē terrarum nouis toties moribus imperijſque corrupit: & non rarò ipſa etiam Eccleſia ſenſit hoc afflata calamitoſo ſidere, grande infelicitatis ac diuturnum momentum. Nihil ęque perturbat Eccleſiam, quàm vel Iudicum, vel Sacerdotum, vel Antiſtitum auaritia, imperitia, ignauia, faſtus. Quid turpius quam in Cœlo laborare vel aſtra, vel Solem?

Tu vero, Gregori, hac nota, hoc

hoc periculo, hac peſte Eccleſiam exemiſti, ac effeciſti ne Cœlum faſtidio eſſet ac mœrori dũ idoneos ſemper ac ſummos Viros magiſtratibus animorum Vrbiumque regimini ſuffeciſti, quos alliciebat veritatis, non auri fulgor, quos pietatis non fortunæ aura impellebat, quos non imbuta blanditijs & fraudibus, ſed virtutibus ac literis inſtructa ornabat *Prudentia*. Et ſane quid ſperandum erat ſub Sole Gregoriano niſi fore vt aſtra & omnia lucerent?

Teſtor hanc generis humani patriam & regiam Eccleſiæ, vbi Gregorius vetuit quemque per dona & auaritiam capeſſere magiſtratus, eoſque repenſo pretio redimi qui fuerant venales; ne vſurparentur auidius, quam iuſtiùs. Teſtor Tribunalia & *Pontificias* Vrbes, quibus clariſſimos quoſque ſeu præſides ſeu adminiſtros adiecit, ita tamen vt ſemper in metu officioque contineret, nam dediſſe optimos Iudices & conſeruaſſe incorruptos ſum-

ſummi Principis eſt. Teſtor Hiſpaniam à qua petiit clarorum Virorũ nomina, quibus Sacerdotia demandaret non caſu, aut fraude, ſed gratia & pręmio virtutis. Teſtor Galliam, cuius Regem ſollicitè monuit, vt ſedibus idoneos Antiſtites deſignaret, eoſque reijceret qui ſacris præeſſe auderent per licentiam potius quam per pietatem. Teſtor Germaniam, vbi Epiſcopos tantũ voluit, probauitque qui Catholicæ Religionis ac Sedis Apoſtolicæ ſtudio flagrarent & quamuis magnifaceret ornamenta generis, tamen pluris æſtimauit munimenta Religionis, quæ non alijs quam ſuis vel indiget pręſidijs vel oblectatur ornamentis. Teſtor vniuerſas prouincias quarum Paſtoribus mandauit, ne homines imperitos aut famoſos licet nobilitate, fortunaq; excellerent ſacris miniſterijs, myſteriiſque imbuerent; Sapientię ſcilicet ac probitatis fama cenſus quidam eſt ac inſigne religionis, quæ non alia conſtat virorum familia,

quam

quàm proborum & ſapientum.

Sed inſtar omnium te, ò Aula Romana, Principum & mundi arbitra, teſtem volo Gregorianæ integritatis, cuius fuiſti ſpectatrix & ſcena; quæ ſuſpexiſti Gregorium omnia per ſeſe molientem, explorantemq; eorum tantum opera adiutum, qui & induſtria, & prudentia & fide pręſtarent; Has enim habere comites maieſtatem decet; Quæ ſpectaſti non ſine metu gratiſſimos Pontifici homines gratia & domo pontificia excluſos ob accepta dona quaſi veneno infectos. Pande poſteritati quos ille viros legationibus deſtinauerit; vnde pontificiæ imago maieſtatis velut e ſpeculo refulget, ſanctimonia morum, experientia rerum, varietate doctrinæ, æquitate conſiliorū Regibus aut venerandos aut pares; vt propterea mirum non fuerit, ſi omnia pæne ex voto confecerit, quia & homines ex negotijs, & negotia ex hominibus metiebatur, nam lubrica ſunt pari ſorte ingenia

&

& negotia: & niſi quodam temperamento ingenia negotiis inhæreſcant, vel negotia perduntur, vel ingenia. Pande etiam antiquitati, quantum reuerentiæ, quantum nobilitatis addiderit Purpurato Senatui, dum Cęſar, dum Reges honorificentiùs ducebant purpuram à Gregorio petere, quam principatum accipere: dum Borbonia, dum Lotharinga, dum Battoria, dum Auſtriaca domus non minus certabant Gregoriana purpura, quam proprio ſanguine ſplẽdeſcere. Nec mirum, ipſa Diuinitas viſa eſt magnifacere donatam à Gregorio purpuram, dum quatuor ab eo in Senatum cooptatos adoptauit Pontifices Vrbanũ VII. Gregorium XIV. Innocentium IX. Leonẽ XI. Siquidẽ apud Gregoriũ purpura præmiũ erat ac teſtimoniũ magnarum animarum; immò non ſola purpura ſed vnaquæque dignitas; Gregorio enim debemus Paulum Quintum & Gregorium Decimum quintum, qui ab eodem pri-

ma honorum inſignia & Vaticanæ fundamenta dignitatis acceperunt. Adeo idem erat à Gregorio nominari, atque Diuinitatis ore probari, nam eos nominabat quos virtus, quos ſapientia, quos religio commendabat, tam ſtudioſe vt homines quoque coniugio adſtrictos ſed doctrina, prudẽtia, & probitatè ſummos ad negotia vocauerit, propoſita purpura niſi Connubij ſtatus obſtitiſſet. Et reuera cum Eccleſia ſit imperium Diuinitatis debet habere adminiſtros, ſi fas eſt dicere, vel Deos, vel Heroes.

Iam vero ad aliam accedamus Orationis partem, hoc eſt ad delectum ſummorum operum quibus Eccleſiam ſuſtentauit, exornauitq; Sed parce, magnanime Gregori, sũt quidem egregia tuæ conſilia voluntatis; verum contra obluctatur ætas quo grauior annis eò viribus imbecillior & ſummorum operum potius cupida quam patiens. Nactus es difficillima tẽpora ſeu Barbarorum inſolentia, ſeu artibus

Secta-

Sectariorum, ſeu iniquis Catholicorum mentibus. Circumſpice Orbem terrarum furijs animorum armorumque iactatum. Quid tandem Pietati licebit in hac Orcheſtra bellorum & errorum? America ſuperſtitionibus obnoxia: Aſia & Africa vel Mahometem vel Neſtoriũ venerantibus: Europa Lutheri & Caluini vires gemente: Britannia ob Reginæ ſcelus in bonos furente: Germania nouis in dies tumultibus, hęreſibuſq; conuulſa: Gallia diſcorde: Polonia noui Regis ambigua & in partes diſtracta: Luſitania clade Principis perturbata: Hiſpania belgicis turbis incerta: ipſa demum Religionis ſede Italia qua *Principum* factionibus qua ſuſpicionibus nec ſibi ſatis nec Romano Ponrifici fidente; Adde. Othomannicus impetus adhuc præualidus, debilitatum Chriſtianorum fœdus, ſacerdotum & ſacrorum hominum imminuta auctoritas, Tridentinę leges, vel non ſeruatę, vel reiectæ morum vbique

 licen-

licentia liberior: pontificia ditio ſicarijs obſeſſa, tributis vexata, peſtilentia, fame, alijſq; ærumnis afflicta, ſi quam habes melioris fortunę ſpem vel inficiunt vel abſorbent. Nullus licet optimus gubernator in medio turbatoq; Oceano portum ſperat: procella & turbo afferre naufragium non rarò ſolent, ſalutem nuſquam: ſatius eſt tempeſtatem omittere quam abripi: vtere principatu ad quietem: tibi conſule vt conſulas Orbi.

Verum hęc momenta priuatarũ rationum non capit magnanima Gregorij mens. Regit fortunam Pontifex, non ſequitur. Et quod nobilius funus adornari poterit annoſo Pontifici quam ſuſtẽtatę, exornatęque Eccleſię pompa? Poſteri ſciant vel non vixiſſe Gregorium, vel profuiſſe ſi vixerit: Hominum ſcelera, mala prouinciarum, Religionis damna non metũ afferunt, ſed ſpem: tũc triumphat Eccleſia, cũ premitur: niſi timet *Põtifex*, vincit: fiducia Pontificis omnipotẽtia eſt.

Quod

Quod ſane confidenter dictum opportune ac vere Gregorio conuenit cuius tanta extitit in agendo fiducia, ſolertia, felicitas, tanta operum quę peregit, magnitudo, multitudo, varietas, pręſtantia, diuturnitas vt nonniſi omnipotentiæ viribus ea confici poſſe affirmare non dubitem. Homo extrema & feſſa ætate cui ſumma laus in otium erat, modico contentus, moribus antiquis, ſolus, inermis, ac ſedens vix Pontificatum indeptus ad tuendam Eccleſiam ea, vel tentauit, vel incepit, vel perfecit quæ alij in ſumma rerum opportunitate vix cogitare ne dum tentare auderent. Perluſtrate non modo Romanum tractum, ſed Orientis, Occidentis, Septemtrionis, Meridiei plagas: has omnes impleuit operibus Gregorij nomen. O ſi veteres illi maximique Pontifices hanc imaginem Gregorij contemplarentur fortaſſe, non aliter quam olim Cæſar conſpecta Alexandri imagine, non ſine lacrymis exclamarent.

Quanta hic egit! Immo Cęſar ipſe, & ipſe Alexander, & quotquot ſeu victoria ſeu potentia ſupra Orbem extulit, eamdem vocem non ſine rubore proferrent. Cedite Imperatores, & vos *P*ontifices plaudite. Deum ipſum imitari aggreſſus eſt Gregorius, non œſtro arrogantiæ, ſed ingenio caritatis quæ ſuaſit illi vt exprimeret in ſolio Dei mores Dei.

Optatis potentiam Cœli terræq; molitricem? Quid ſunt orbes cœleſtes, niſi ſuprema Dei templa? Gregorius innumera poſuit templa quaſi Orbium cœleſtium imagines. Quid Terrę niſi hominum ſeminaria? Gregorius hunc orbem ſeminariorum condidit quaſi terrarum: Aequatis montibus, ſiccatis vallibus, pontibus excitatis, conſtratis ſemitis, cohibitis fluminibus, alijſque operibus tentatis, quibus molitrix illa rerum potentia delectatur. Vultis ſapientiam in ordinandis rerum temporumque motibus? Gregorius tem-

pora

pora ordinauit? Amatis Prouidẽtiam in Natura vbique ſuſtentanda, fouenda, conſeruanda? Et Gregorius Eccleſiam omnem vbique terrarum ſuppeditata pecunia recreauit, fouit, ſuſtentauit Inopum turbas, familias, Vrbes, Prouincias, Populos, Principes, Reges tam liberaliter vt Eccleſia quodammodo videretur pendere, ac ſpiritum trahere à Gregorij ſinu, nullo tamen Apoſtolici ærarij detrimento, ſed potius incremento; nam poſt tantam liberalitatem, nullo impoſito vectigali, ſed pluribus ſublatis vectigalibus auxit Apoſtolicum ærarium centum aureorum millium annuo, & perpetuo prouentu. Optatis demum Bonitatem in donis, opibuſque impertiendis quæ ad gratiam immortalitatemq; ſpectant? Gregorius diuinę indulgentiæ opes tam copioſe ad expiandam mortalitatem immortalitatemq; obtinendam effudit, vt conceſſa ſacrificijs, precibus, actionibuſque virtutum ampla noxarum

venia Cœli anguſtam portam quodammodo dilatauerit.

Verum hæc opera licet magna, communia Gregorius cenſuit, alia vero ſumma & digna Gregorio, quorum ipſe in iuuanda Eccleſia delectum habuit, nunc accipite eo magnificẽtius quo breuius, & ſimplicius a me narrantur. maximæ quæq; res patent in receſſu.

Summum igitur Gregorij opus fuit *P*rincipes, & *P*opulos Catholicos vniuerſamq; Chriſtianã Remp. in obſequio atq; amore Apoſtolicæ Sedis continere. Quod optauit, & obtinuit. Amabatur vt parens, vt dominus timebatur, ſuſpiciebatur vt arbiter, quia nulli & omnibus addictus. Carolus IX. & Hẽricus III. Galliarum Reges: Maximilianus & Rodulphus Cæſares, Philippus II. Hiſpaniarum Rex, Stephanus Poloniæ, Carolus & Ferdinandus Archiduces: Albertus Bauarus, Philibertus & Carolus Sabaudiæ Duces, Alphonſus Ferrarienſis quæ nomina! qui Principes! Gregorij nutum

Digitized by Google

nutum vultumq; obſeruabant tanquam Chriſtianæ felicitatis horoſcopum. Nam ita accipiebat omnes vt oſtentata beneuolentia conciliaret Apoſtolicæ Sedi amorem, aſſerta auctoritate reuerentiam.

Summum Gregorii opus fuit Sapientiam & bonas artes alere prouehere, nobilitare; intelligebat enim Sapientiæ contemptu contemni Religionem. Nec modo amauit ornauitque Iuriſprudentiam cui ab Adoleſcentia aſſueuerat, ſed omnia literarum genera Humanarum & Diuinarum quibus vel mores inſtruuntur vel ingenia confirmantur. Academias Romanam, Bononienſem, Louanienſem, aliaſque pene omnes quaſi Sapientiæ turres immiſſo auro non violauit ſed ſeruauit. Omnium Nationum ſapientes, libros, monumenta, typos Romam attraxit, & inſtituta pulcherrima Typographia ſacrorum Canonum, ſacrorum Bibliorum, ac etiam Patrum volumina reſtituit tanquã ſpolia & trophæa veritatis.

Quid ſi Collegia memorentur vbique terrarum collocata, e quibus Chriſtiana Pallas ingeniis, artibus & documentis armata pro Cœlo pugnat & ſuperis.

Summum opus Gregorii fuit pacem in orbe Chriſtiano tueri, ac maxime in Italia qua commota commouetur Europa. Melitenſem familiam, Genuenſem Rempublicam compoſuit, Vrbinates conciliauit Principi, Sabaudum Mantuano, Rogerium Bellagardam, & Franciſcum Alenconium Henrico Tertio & hunc Philippo Secundo: Belgicas turbas, Luſitanię, Polonięque certamina & priuatas Eccleſiæ cum *Principibus* diſſenſiones, ſi non omnino ſuſtulit, certè mitigauit.

Summum opus Gregorii fuit Orbem terrarum vniuerſum cum imperio ac poteſtate Pontificis ac Dei explorare, opus ob turbinem difficultatum à nullo Pontifice tentatum. Itaque in omnes Prouincias, vel remotiſſimas, non ſolum in Ita-

liam,

lam, Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, Poloniam, Dalmatiam, Græciam, Thraciam deſtinauit homines, qui omnia Chriſtianæ Reipublicæ officia, inſtituta, mores recognoſcerent, mala excinderent, bene ſanctéque incepta fouerent, nihil intactum, intentatumque relinquerent, quod poſſet in melius verti. Auctoritate principes, imperio populos cohibuit ne aduerſarentur: remque difficillimam ad exitum perduxit, non vi ſed magis labore atque conſtantia.

Summum opus Gregorii fuit Hęreſim inuadere, vexare, debilitare, vt ſi poſſet, omnino profligaret. Aduerſus hanc Populorum Hydrã vbique pullulantem ſtatuerat Catholicorum Principum arma impellere communi claſſico, & fœdere; ſed veritus ne ſancito Catholicorum fœdere ſectarii Othomanum acceſſerent, maiorque inſtaret Eccleſiæ clades, vicino Othomano; vertit in mitiora conſilia,

& fortaſſe, vtiliora armatam voluntatem; & per beneficia in populos collata, per beneuolentiam Principum, per inſtituta Adoleſcentum ſeminaria, per arma & ſtudia Religioſorum hominum, adultam Hæreſum audaciam fregit, imminuit vires, attriuit potentiam. Nec ſolo auro, & conſilio; ſed ferro, & ira pugnauit. Extimulauit Hiſpanum aduerſus Eliſabetham Brittanniæ Reginam Cœlum terramq; miſcentem, Henricum Tertium aduerſus Hugonottos: Bohemiæ proſpexit: Suetiam commouit: Scotiam ſuſtinuit: Hiberniam miſſis copiis, quà potuit, vindicauit: Stiriam & Carinthiam continuit: Germaniam omnẽ conſiliis ſubſidiiſque quaſi propriam Gregorianæ caritatis dotem aduerſus agmina ſectarum amanter fortiterque aſſeruit. Et ne gloriaretur Hęreſis illuſiſſe Apoſtolicæ Sedi corrupta Pontificia ditione, tam conſtanter, tamq; validè Auenionenſem tractum propugnauit, vt inter

ter memorabilia Bellorum numeretur Auenio ab Hæreticis oppugnata, à Gregorio propugnata.

Summum Gregorii opus fuit tẽtare Orientis & Græcię concordiã cum Latio & Occidẽte. Iamq; conciliato Hieremia Patriarcha Conſtantinopolitano, conciliato Moſchouiæ Duce, conciliata Æthiopia res in portum ibat, ſed inuidia excitauit tem peſtatem.

Summũ Gregorii opus fuit ruinam moliri, & cladem Othomanæ potentiæ, in quam viſus eſt effudiſſe omnes pontificiæ auctoritatis vires, & iras. Sanciuit fœdera, inſtruxit, & immiſit claſſes, concitauit principes omnes; nec tantum Chriſtianos, ſed regem Perſarum, miſſis legationibus commouit: quaſi neſciret viuere Gregorius, inulto Othomano; quippe perſpiciebat, hanc barbaram tyrannidem eſſe, veluti propugnaculum, & vallum Inferorum Eccleſiam obſidentium: quaſi &, lucente Luna timeat Sol.

Summum deniq; Gregorii opus

Chri-

Chriſtianam Religionem vbiq; locorum, vbique gentium, omnibus viribus, opibus, conſilijs, votis, laboribus, ac incommodis propagare vt fieret vnum Ouile, & vnus *Paſtor*. Et ſane propugnauit, erecto vbique pietatis vexillo, excitatis virtutum monumentis, inſinuatis Conciliorum legibus, reſtitutis optimis moribus, extinctis prauarum conſuetudinū ſeminibus, omnium ætatum conditione erudita, omnium Nationū calamitate ſubleuata, propoſitis bonarum artium præmijs, conſtitutis literarum domicilijs, & hoc Romano Collegio, Principibus reuerenter exceptis, firmata Catholicorum pace, inſtructo in Chriſtianorum hoſtes terra marique bello, depulſis hæreſibus, Othomano compreſſo, attrita ſuperſtitione, ſollicitato vniuerſo genere humano, & præſertim Ethnicorum populo ad obſequia Diuinitatis perennibus expeditionibus in omnem Europam, in omnem Africam, in omnem Aſiam, in omnem

Ame-

Digitized by Google

Americam, & inacceſſas Regiones, quas cum Natura quodammodo timuerit humano ritu excolere, Gregorius religione, ac virtutibus excoluit: relicto Poſteris ad ea quæ non potuit, perficienda ſummo incitamento. Atque hac de cauſa Diuina Prouidentia deſtinauit tres Principes, qui ab Iaponia, extrema terrarum prouincia, & hactenus Eccleſiæ ignota, inaudito maioribus exemplo, poſt infinitum iter, poſt immenſa rerum diſcrimina Oceano vel inuito, debellatæ ſpolia ſuperſtitionis, & propugnatæ pietatis palmas in Vaticano Capitolio ſupplices offerrent morituro Gregorio; vt conſtaret Gregorianæ vitæ, atque Gregoriani Pontificatus finem fuiſſe triumphum Religionis.

Hic ſiſte Oratio, vbi ſiſtunt opera Gregorij; immò vbi ſiſtit Romani excellentia Pontificis, & Vicaria Dei maieſtas.

PON-

PONTIFEX OPTIMVS ſiue Suauiter & fortiter.

SI quid eſt in ſcena mortalitatis, ad æternitatis clepſydrã, continuata eloquentiæ ac famæ pompa Poſteritati commendandum, illud maxime videtur quod abſolutam continet felicitatis humanæ, rationem, ipſamque mortalium gentem tot periculis, tot naufragijs iactatam in portu collocat immortalitatis; optimum videlicet ac ſalutare Chriſtianæ Reipublicæ regimen. Itaque N. N. rem acturum me cenſui, & vobis gratam, & noſtris temporibus opportunam, ſi more maiorum in Gregorij XIII. anniuerſario funere peroraturus, repræſentauerim per machinas officioſæ veritatis eius optimum Pontificatum à Sapientibus, à Principibus, ab omnis generis Ordini-

bus

bus Nationibuſque vniuerſis comprobatum vt cenſeatur, ſi nō anteponēdus omnibus certè nulli poſthabendus, atque in eodem obſeruauerim ſingulares Imperij Diuini prerogatiuas quæ illo perbreui oraculo indicantur; Suauiter & fortiter.

Etenim gemina ſunt, eaq; altiſſima humani pectoris vulnera, impatientia ſeruitutis ſi ſeruias, & niſi ſeruias, arrogantia libertatis, quæ atrociſſimo, & nunquam ceſſante morſu tam intimè inquietant, exulcerantque mentem ſuapte ſponte, ac innato Ambitionis genio ad turbida conſilia anhelantem vt vno eodemque impetu ſecū trahāt omnium ruinam, præcipitante Republica dum priuata, ſeù modeſtia, ſeù fortuna præcipitat. Quapropter cum ſummus ille rerū arbiter & curator Deus conſtituiſſet per Principatum, & Hominū imperia humamanas res moderari, ſciretq; bona à mortalibus quęcumque ſint, tam peſſimo fato tractari, vt hanc malorum atrocitatem habeant pediſſe-

quam

quam, & ſi adhibeas remedia, hæc euadere plerumque grauiora malis, & eſſe potius incrementa morborũ quam medicamenta, quippe quæ vel non ſanant quod corrupta, vel offendunt quod acerba; præſcripſit Dominantibus decretoriam imperandi formulã non tam lege quam exemplo, quod eſt lege validius vt ſcilicet Principes morem Numinis imitantes moderentur ac diſponãt omnia ſuauiter ac fortiter. Hoc ergo exemplar ſibi Gregorius imitãdum propoſuit quo exprimeret dominationem potentiæ diuinæ vicariam, eòque ſimilem i[illegible]

Cum autem in regno Naturæ principium, fundus, ac neruus Naturalis potentię ſit Seminarium virium Terræ inditum ad germina educenda, educanda, tuenda, ita etiam Humano Principatui ad opera neceſſaria excitanda, augenda, conſeruanda primùm ineſſe debet publicum Ærarium quod ſit veluti Seminarium potentiæ, pacis armamentarium, patrimoniũ Mi-

litię communis vitæ officina, quo ſi *Princeps* careat, fruſtra ſubiectas pedibus prouincias numerauerit, fruſtra oſtentauerit magnitudinem *Populorum* pendentium à ſolio & nutu, fruſtra immenſas Militum copias eduxerit in aciem animo & ferro formidoloſam, fruſtra faſces, arces, munimenta & reliqua inſtruxerit ſecuritatis & glorię ſiue ſubſidia, ſiue præſidia. Ærario gemente quodcumque potentiæ corcorpus degenerat in cadauer: immò vnum idemque iacturæ genus habetur Ærarium exhaurire & exanimare *Principatum*; non enim Hoſtium Romanos fines vaſtantium violentia, ſed prodigentia Cæſarũ Romanas opes dilapidantium Capitolium perdidit; Inde cum ſoluendo non eſſet, à legionibus ſtipendio frandatis itum eſt ad ſeditionem, non ad defenſionem: inde *Populi* grauioribus iuſto tributis ſollicitati maluere ſanguinẽ dare perduellem rebellando, quam aurum ſeruile obtemperando: an

fata-

fatali homine Iulius Cęſar non ante occupauit Rempublicam quam Ærarium expilauit? quaſi eadem ſit vtriuſque conditio.

Itaque Gregorius cum ex vna parte ſtatuiſſet ſedare potius collatis beneficijs quam prouocare illatis vectigalibus lamenta Populorum, & ex alia intelligeret non eſſe turbanda Ærarij Apoſtolici momenta, quibus & ditio Pontificia & vniuerſa pene Phriſtiana Reſpublica librantur, ſuaui fortique temperamento dum priuatæ inopiæ conſulebat, publicæ quoque opulentiæ conſuluit; ſiquidem modo plurima loca ſitu & ſqualore iacentia colonis admotis impenſiſq; operis in perennes fructus excoluit: modo pinguia & opima prædia, quę in largiſſimos prouentus exuberarunt, dato pretio coemit: modo vtilia oppida, quę clientelæ iure ad Pontificis poſſeſſionem reuoluebantur, conſtanter & ſollicitè recuperauit tanto cum fœnore vt Apoſtolico Ærario adiecerit per an-

annuum ęternumque prouentum aureorum centena millia. Hic ſane tuum agnoſco ingenium Gregori, dum aurum collocare maluiſti quam colligere, nec in arca collocaſti, vel in arce, ſed in fructu.

Poſt Ærarium Apoſtolicum ſe offert Roma principatus Apoſtolici cor & Regia. Quis autem hoc audito nomine non percipit quam ſuaue ſit, quam forte dominationis genus, quod exercetur in eam Vrbem, quę ab incunabulis ſueta regere, non regi: dicere leges, non audire: dare Cęſares non accipere, adhuc in ſepulcralibus ruderibus ſpirat illã primæuæ magnitudinem indolis ſceptra thiaras, diademata, ſeu increpantis, ſeu indignantis, quæ ſuſpirat Capitolij ruinas, ſed ſupra Capitoliũ attollit Vaticanum: deſiderat veterem Senatorum turbam, ſed gloriatur nouo *Purpuratorum* Senatu planè regio: quę viduata Cæſare, adorat in ſinu ſuo maiorẽ Cęſare Pontificem, cuius caput Deo eſt

pro-

proximum: cuius manus Cœlum ſuſtinent, cuius pedes globũ terrarum veluti humanæ fortunæ arbitri conuoluunt, cuius ſolium calcat ſolia, Sed quemadmodum triplex eſt Pontificis ſupra reliquos *Principes* Corona, ita triplex eſt authoramentum quo Roma ſupra reliquas Vrbes coronata non citrà admirationem ſuſpicitur ab omnibus & omnia deſpicit citra inuidiam; videlicet opportunitas domiciliorum, in quibus aut corpora curantur ad ſanitatem aut ingenia educantur ad Sapientiam: Sanctitas Tribunalium ex quorum decoro conflictu quæſitæ ſplendor æquitatis effulget: ac demum Dignitas Aulę quæ ſuam diſpergit cum Sole maieſtatem.

Etenim homo cum ſit medius inter Angelos & animantia corpore conſtat & ingenio, adeoq; Princeps dum hominis gubernacula ſuſcipit, niſi etiam ſuſcipiat coniunctas corporis & ingenii curas nomen quidem *Principis* retinet,

ſed

ſed diuidit officium. Idcirço veſter ille Gregorius, ò mortales, qui quodammodo ſuper Cherubim ſedebat Principum habenas moderans, & ſuper pennas ventorum ambulabat, facta Nationum recognoſcens, Noſocomia ægrorum, puerorum Scholas, Collegia adoleſcentum, & ſuauiter. *P*ontificia præſentia iuuabat, & fortiter Pontificia auctoritate firmabat. Rogatus à Carolo Borromeo ſanctiſſimo viro, & à Carolo Lotharingo clariſſimo Principe, vt cuiuſdam Domicilii erudiendę Iuuentuti deſtinati ęrumnas ſubleuaret, annuit, ſed comperto complures obtrectare quaſi poma darentur Alcinoo et aurum proijceretur in Tagum, repente adducto Procerum et *Pur*puratorum comitatu ad huiuſmodi domicilium accedit, luſtrat omnia demum grauiore ſupercilio et ſono ad eos conuerſus: Annon, inquit, hæ anguſtiæ ſubleuandæ? ſtatimq; diſiecto ingentium difficultatum obice eam ædificii molem parari

iuſſit

iuſſit quã Roma miratur vti ſummã et Europa probat vti neceſſariam.

Si tantum Scholarum commoditati tribuit, quantum tribuerit oportet Tribunalium ſanctitati, qua periclitante totius ſumma Principatus periclitatur. Solii Baſis eſt Tribunal: et vrna tuetur quod ſceptra tenent. Teſtare Roma & repræſenta Gregorium nõ modo cauſſas cognoſcentem, ſed et tribunalia recognoſcentem: ipſa propemodum Iuſtitia trepidante non quod offenderetur aut offenderet, ſed quod Pontificis omnia incorrupte diſpicientis aciem ſemper vigilantem vereretur. Vos certe id temporis exulaſtis Calumnia, Auaritia, fraus & cæteræ Tribunalium peſtes veluti Nocturnæ vmbræ fugientes meridianum iubar: apertis vbique publicę audientiæ foribus palam dominatrice manu libellos accipiebat, & domi ſolitaria mente expendebat; immo tribunal Iudicis Diuini cuius perſonam referebat, imitatus eodem tempore audiebat

diebat Actores, Reos, Teſtes vt Calumniæ & laruam detraheret, quod poſſunt Priuati & audaciam quod debent *Principes*. Concionatorem Pontificiũ Vir doctiſſimus detulerat quaſi non piè locutum. Perturbauit hæc accuſatio Gregorium. quid conſilii cepiſſe putatis? An rem Iudicibus commiſit? Nihil minus. Vtrumque ad ſe accerſiuit, iiſque extra arbitros auditis Concionatorem abſoluit. Sic Pontificio exemplo quantum veritatis cognoſcendæ ſtudium ineſſe Principibus debeat oſtendit.

Vſque adeo regnante Gregorio Aula Romana emporium fuit æquitatis, immo Dignitatis hoc eſt vere Romana. Siquidem is altiſſima præditus indole ac ſupremo Generis Humani gradu potitus amabat adeſſe pompam, honorem, magnificentiam lateri ſuo parem; ſed robur & neruum Maieſtatis reponebat in comitatu Magnarum animarum ſpirantium auram diuiniorem: incedebat inter reliqua capita quamuis

excelſa maior & vertice & dignitate & genio; ac veluti Sol illuminabat ſubiecta ſidera. Tunc Romana Purpura Gregoriano ſplendore imbuta intra Nationum ſolia, intra Conclauia Regum, intra Cæſarum diademata perlucens, verè ſanguinis regii hauſit colorem & honorem auxit. Tunc Aula Romana, ſupra veterum præconia, oſtendit ſuo in gremio florem Terræ hoc eſt innumeros Principes & Florem Cœli hoc eſt plures ſummos Pontifices. Tunc Romam veluti Terrarum Gentiumque Deam aut certe moderatricem miſſis legatis & muneribus adorarunt Italia, Hiſpania, Gallia, Germania, Polonia, Suetia, Moſcouia, Græcia, Perſia, & extrema Orbis linea Iaponia; immo & Romanorum Imperator & Turcarum Tyrannus, ille remiſſo Ioanne Palæologo ad romanum tribunal vnde aufugerat, ne Gregorio diſpliceret: hic emancipatis omnibus ex Romana Ditione captiuis ut Gregorio placeret. Tunc audita eſt illa

Hære-

Hæreticorum Principum, ſed Catholicis memoranda vox: Sedem Apoſtolicam, ſi *P*ontifices Gregorio ſimiles daret, fore omnium Terrarum dominam. Quoniam vero uti Luna oppoſitu Terræ, ita Aula oppoſitu Nobilitatis laborat ac fere quo maior eſt obſequentium ſplendor, eò minor eſt obſequii terror, Gregorius pari cura expreſſit ab Aula & obſequium & ſplendorem. Cognoſcite ex leuiſſima unguis impreſſione Leonem. Degebat Princeps clientelis, opibus, affinitatibus præpotens ac magno Regi primariiſque Italiæ *P*rincipibus cognatus, cuius in ædes confugerat ſicarius. Mittitur à Prætore Lictorum agmẽ: impeditur & repellitur. Magna inde Romam inceſſit animorum conſternatio, & expectatio; conniueret Pontifex? at pontificiæ culmen authoritatis intercidebat. vlciſceretur? Vrbs factioſo ſatellite, tumultu, ſeditione opplebatur. Vnico dicto turbinem diſcuſſit. Non decet, inquit, ſub iiſ-

tectis tantum Principem & talem Sicarium degere: abeat ergo *Princeps* domo & etiam Roma. Abiit ille vel inuitus. Quid ſuauius ſtruendæ vltioni? Quid authoritati tuendæ fortius?

Atque id Romæ, quid in vniuerſa *Pontificia* ditione, cuius reddidit non modo terras & ſemitas incolentibus opportunas ſed ipſas ærumnas & pœnas patientibus iucundas? Si locuſta, ſi morbus, ſi grando, ſi fames, ſi paupertas, ſi lues, ſi quodcumque aliud malorum genus ingruebat, ſtatim aderat vindex ac multiplex Gregorii manus quæ ſuauiter vtiliterque pretioſa vertebat ferrea mala in aurea poma; & fabula quidem cenſeatur, olim à Dracone fuiſſe in Heſperidum horto aurea poma cuſtodita; nunc verè dixerim fuiſſe à Dracone Boncompagno aurea poma in Horto Parcarum ſata hiſque aureis pomis Pontificiam ditionem cuſtoditam neq; enim hic Draco è terra ortum habuit, ſed è cælo, adeoque non fudit

venena

Digitized by Google

venena, ſed lac & mel. Oro vos, Quodnam fuit hominũ genus, cui Gregorius non profuerit? Turbam ærumnoſam recreauit ſolatio & remedio, Iuuentam alimento & documento: populum annona & ædificio, Milites priuilegio & expeditione, opifices lucro & immunitate, literatos gratia & honore, Nobiles ſubſidio & magiſtratu, Purpuratos prouentu & autoritate, Pontifices gloria & Palatio Quirinali excitato, Superos demum ipſos reuerentia & magnificentia, priuatim enim reuerenter nudo genu, nuda in humo; publice vero tam magnifice eos precabatur vt idem in Gregorio videretur flectere precibus ſuperos & homines legibus: mouere Cælum votis ac terram imperiis. Fas tamen mihi ſit ò ſuperi, vobiſcum conqueri quod Gregorii Pontificatus tam beneficus inciderit in ætatem pene veneficam cum Pontificia ditio Graſſatorum, Prædonumque furiis lacerata non potuit aut omnia commoda libare, aut vitare

omnia incommoda. Sed hoc ipſum pars fuit beneficiorum quæ per Gregorium Superi nobis impertiuere, ut ſcilicet, dum reliquas terras monſtroſa & nullo mitigata fomento calamitas vrgebat, Ditio Pontificia experiretur clementiſſimi Pontificis caritatem quæ lambit, ne vrat. Facillimum eſt ægro corpori admouere ferrum & flammam, ſed difficillimum ferro & flammæ moderari, ne violent cum ægra parte ſaniorem: plus nempe Reipublicæ nocet vnus innocenter violatus quam plures nocentes tolerati. At retracto in eam orationem. Nemo ſeuerius Gregorio egit, nemo fortius. Hic ſuauiſſimus Pontifex vbi ratio & iuſtitia inſtabant, nemini pepercit nec ſuis. Auenionenſem tractum tot hoſtibus, tot inſidiis, tot coniurationibus à Catholicis, ab Hæreticis, à Ciuibus, à Principibus agitatum firmauit per ſolam ſeueritatem; eiuſque perturbatores vita, fortuna, patria multatos veluti pullulantia hydræ capita contriuit
claua

claua pluſquam Herculea. Illa ipſa ſicariorum & exulum agmina quæ ante ipſius Pontificatum, iam Romam quatiebant, immiſſis Militibus, ſuppliciis inflictis terrore circumlato concuſſit tanquam ſobolem Cadmæam: primarios ſed nefarios Vrbium ſeu Ciues ſeu Senatores ſeu Dynaſtas continuit obiecto inexorabili vltionis decreto tanquam prætento Meduſęo Capite: Sacrarum rerum violatores horrendè præcipitauit in Tartara, cruciatu anticipato nullumque omnino vltricis poteſtatis telum omiſit, ne vel vnum quidem pontificiæ, ſacræue rei ornamentum amitteret. Non gratiam, non potentiam, non Populos, non Proceres, non Romã ipſam formidauit, iuſſo Arcis Ælię Pręfecto mortem in Vrbem per maiora tormenta iaculari, ſiquid aduerſum ſalutaria ipſius mandata tentaretur: quippe neminem timet, qui omnes amat.

An licet, Aud. aliquid maius expectare à Pontifice vt ſit Optimus ſua-

ſuauiter & fortiter agendo? Verum ego Timantem imitatus, expreſſi particulam magni corporis documentum, nam ſentio deeſſe mihi & tempus & ingenium & eloquentiam & laterum vires ad explicandam admirabilem illam Gregorianę Animæ contentionem ſiue in Principibus Chriſtianis cohibendis vbi aberrarent, conciliandis vbi diſcreparent, vbi feliciter arderent, acrius incendendis: ſiue in Catholica Religione apud Catholicos ornanda, apud Sectarios aſſerenda, apud Ethnicos propaganda: ſiue in Chriſtiana Republica ad Populorum, Morumque concordiā, ad virtutem bonarumque artium poſſeſſionem, ad vitæ ſanctimoniam, amoremque poſthumæ felicitatis commouenda: Siue in Genere humano per priuata conſilia, per publica monimenta, per exempla, per imperia, per ſacramenta ad Chriſti ouile vnumq; Paſtorem euocando. Quis memoret Gregoriani pectoris amabile robur & æs Charytum nodo

do triplex quo aurum & ferrum, fulgur & ſulmen vibrabat nullo diſcrimine diadematis, & inſulæ, Sceptri & calami, purpuræ & lacernæ, chlamydis & togę, Oriente cõmoto, Occidente compoſito; Meridie recreata, incenſo Septemtrione, vtroque Orbe Conciliato, repurgata Terra, ordinato Cælo. Pandite omnia mortalitatis theatra, Academias, Vrbes, Prouincias, Regiones; oſtendite plagam, litus, angulum quo Gregorius non extenderit manum donando & virgam frænando. Appello uos vitia & monſtra terrarum. An non Gregorius vndiq; vos concuſſit per clementiam, & vbique decuſſit per ſeueritatem? Appello vos Virtutes & Gratiæ terrarum. Nonne vos Gregorii & beneficentia vndique ornauit, & Conſtantia vbique conſecrauit? Vos ipſi Auditores, non ne aduertitis hic renouata Gregorij memoria, quaſi reperito Superum in Gigantas fulmine impalleſcere improbitatem, hæreſim contremiſcere, ſuperſtitionem exani-

 mari.

mari ; geſtire autem probitatem, veritatem exilire gaudio, religionem triumphare. Quapropter non caſu Optimi Pontificis inſigne fuit Draco vt intelligeremus Draconem Tartareum qui (ceu Ioannes in Apocalypſi teſtatur) Eccleſiam perſequebatur, à Gregorio fuiſſe debellatum, adeoque Eccleſiæ ſeruire vti prędam, non imminere vti prędonem. An etiam vt conſtaret, quemadmodum Deus Petro Eccleſiam inter Ethnicos fundanti ſerpentes per viſum obiecit deglutiēdos, Ethnicæ ſuperſtitionis ſuperatæ ſymbola, ita & Gregorio Eccleſiam aduerſus Hæreticos ſuſtentāti fuiſſe oblatum Draconem deuorandum, Hæreſis proſtratæ argumentū? Sed & illud licet obſeruare quod hæc diuina opera diuinis modis expreſſit ſuauiter & fortiter. Nullos Principes quamuis violatus offendit, nec timuit offendere ſi quando publica commoda violarent: non iniuriam pari vltione compenſauit, ſed tamen de iniurię grauitate per literas

ras eos monuit & redarguit per amicos, nec iuſtitia nec caritate fraudata; paternæque ſimul lenitatis & authoritatis tenax. *R*eges inter ſe conciliauit ſed incuſauit ſi cum Hæreticis inducias aut cum Othomano ſancirent: Nationes adiuuit auro & ferro: Græciæ cum Latio concordiam tentauit per pacata conſilia, ſed Græcię Tyrannũ turbauit per armata fœdera: Antiſtites obſequentes aſſeruit, refractarios abdicauit, atq; omne prorſus hominum genus nullo diſcrimine & ſuauiter eſt proſecutus ſi pro diſciplina, & fortiter perſecutus ſi contra diſciplinam ſtarent. Quamquam Gregorij certa & ſingularis gloria cenſetur Catholicam Religionem, Chriſtianam Rempublicam, Genus humanum ſuſtentaſſe per pacificæ Mineruæ temperamenta, non per turbamenta ferocis Bellonæ: conſilio non impetu: verbo non vulnere: amoris non furoris violentia: non cruenta vaſtatione agrorum ſed Apoſtolica om-

 nium

nium terrarum inſpectione per quã praua ſemina erueret: extructis nõ propugnaculis, ſed ſeminarijs, per quæ proba exempla inſereret: miſſis frequenter non belli Fæcialibus, ſed amicitię Nuntijs per quos ediceret Principibus quid agendum: promulgatis non hoſtilibus libellis, ſed Tridentinis legibus, per quas indiceret Populis quid cauendum: effuſa demum immẽſa non ſanguinis aut lacrymarum ſed beneficiorum eluuione qua feliciter Eccleſiam irrigauit ad ſapientiam, ad ſanctimoniam fœcundauit, inundauit ad ſalutem. Sic *Gregorius* publicas priuataſque Mundi fortunas in tuto poſuit: ſic periclitantẽ Petri Nauem firmauit in fluctu tanquam in portu: ſic inter tumultuoſa Hominum tempora & nutantia Principũ exempla dominantis Dei expreſſit & faſces & mores.

Verum ſit meta Gregorianæ laudationis Cœlum, quod fuit Gregoriani meta Pontificatus: ingens enim tanti Pontificis laus exiſtime-

tur, prudentiæ machinis Terram libraſſe ſed ingentior citra exceptionem exiſtimanda eſt, non modo Aſtronomiæ legibus Cœleſtes orbes ordinaſſe, nam Gregorij ordinatione quodãmodo perſeuerat dies, ſed etiam Chriſti exemplo cœleſtẽ immortalitatem per pia animorum præſidia facilem ac parabilẽ reddidiſſe, profuſi ab eodem Chriſto ſanguinis pretio liberaliter impertito: excitatis vbique gentium Apoſtolicis Collegijs: & emiſſo in Orbem terræ per igneas animas verbo Diuino.

Sic Obijt optimus Pontifex & moriens accepit vti traditur, teſtimonium beatitatis à Viro pietate inſigni per extaſim exclamante: En anima Pontificis Gregorij ab Angelis in Cœlum deducitur. *V*ſque adeo Principes de Eccleſia ſuauiter, fortiterque benemerentes & ſuauiter amat Deus, & remuneratur fortiter. O felicem Gregoriũ! o felicem illam ætatem quę Gregorium habuit; quamquam & noſtræ poſſumus

ſumus

ſumus ætati gratulari quod & ſuum Gregorium habet.

ROMANVM IMPERIVM RELIGIONIS CHRISTIANÆ cauſa fuiſſe inſtitutum.

ROMANVM Imperium ditionis amplitudine, magnitudine potentiæ, ac diuitiarum ſplendore non modò reliquorum imperia populorum, ſed ipſam ſuperaſſe fortunæ meram videtur. N. N. vt ſanè adfirmare libeat arcano quodam Diuinitatis conſilio excitatū illud eſſe non vt, quemadmodum cætera dominationum genera ſuccedentiū temporum calamitatibus obnoxia ſpecimen exhibuerunt deficientis maieſtatis humanæ, ita ærumnoſæ potentiæ tragicam imaginem Principibus ac Populis ex altiſſimo Capitolij vertice oſtētaret; Sed potius

vt ſtabili quadam compage Diuinę adnexum dominationi præclarum ac eximium eſſet ſpeculum dominantis Dei. Nam etſi Natura ingenioſè Diuinitatis notas repræsētat, Potentia tamen quam maxime imitatur. Natura neceſſitatem amat, libertatem Potentia. Igitur opportunum erit ad excitanda Adoleſcētum ingenia, eorumque ſtudia inflammanda depromere non tantum humiles Parnaſſi myricas, ſed etiā Imperatorias Capitolij Laureas. Illud ſcilicet oſtendam neceſſariā fuiſſe Imperij Romani maieſtatem ad Chriſtianæ Religionis fundamēta felicius & nobilius iacienda; nā reuera nihil aliud fuere Imperij faſces quam vincula firmādæ pietatis.

Tria præcipue neceſſaria vidētur propagandæ, veri Numinis venerationi. Vnius videlicet linguæ commercium, Pax Generi humano communis, & Maieſtas quædā ſplēdorque potentiæ. Atque hæc omnia in ſolo Romano Imperio non ſine quodā humanæ dominationis prodigio

Digitized by Google

digio, admirante Natura, conſtantiſſime excelluere.

Vt autem primam imperij Romani prærogatiuam, linguæ videlicet vnius commercium inſinuemus. Conuertite ſi libet oculos in immenſam terrarum latitudinem, varietatem prouinciarum, populorum diſcordiam, diſtantiam Regionũ, diſcrimina Vrbium, Oppidorumq; infinitam pene diuerſitatem ſimul & vaſtitatẽ, quis vnquã crediđiſſet hæc per Latini hoc eſt Romani ſermonis fœdera potuiſſe coniungi ad ſocietatem vitæ, componi ad obſequium Imperij, conciliari ad militiæ leges ſeruandas, connecti ad corpus potentiæ ſuſtinendum, & quodammodo animandum vnius linguæ ſono. Europa, Africa, Aſia diſcrepantes moribus terrarum partes non diſcrepabant ſermonibus. Septentrio, Auſter, Ortus, Occaſus ſentiebant alia illuminantis Solis officia, non alia imperantis Principis dicta. Diuiſi ab orbe Britanni non diuidebantur à Capitolio: Daci,

ci, Getæ, Sauromatæ ignotas reliquis populis perferebāt Naturæ vices, ſed eaſdem cum omnibus percipiebant potētiæ romanæ voces. Idē vbiq; Cæſar, quia eadem vbiq; Cæſaris lingua. Roma iubebat, Orbis audiebat: adeoque nemo fere reclamabat, quia non aliam vocem poterat vſurpare quam Romanam. Non facile illius imperia è corde excutiuntur, cuius lingua in ore perſonat. Vox enim vinculum cordis eſt; eorum mores perferimus, quorum voces proferimus; vt plane auſim dicere Romanos aggreſſos fuiſſe Orbem terrarum gladio & ferro, ſed lingua & voce latina occupaſſe, vel occupatum conſeruaſſe. Hæc lingua infinitā quodammodo potentiam continuit, hæc populos mitigauit immanitate barbaros, hæc infenſam Generi humano morū colluuiem, hæc omnia ſcelerum irritamenta & tentamenta compreſſit: hæc denique Orbem terrarum tanquam vnam Ciuitatem primum ſubiecit Romæ per Romanū imperium;

rium; deinde Cœlo per Chriſtianã Religionem; nam reuera facile fuit in terras effundere latino ſono euãgelica oracula; iucundus accidebat vbique gentium cœleſtis veritatis rumor ore Romano propagatus: excipiebatur veluti proprium illud documentum, quod communis linguæ murmure promebatur. Et ſane debuit eſſe vnius labij & vnius linguæ Gens humana id temporis quo vſurpãda erat vnius verbi Vox. Debuit cõmuni & eadem viuẽtium populorũ voce ſalutari Deus, qui commune & eadem charitate populis ſalutem impertiebatur moriendo.

Altera Imperij Romani prærogatiua erat diffuſa Orbe toto terrarũ Pax: vbique populis quies, vbique ſecuritas, vbique iucundi ſoles quia extra Martis ſidus lucebant; vbiq; grata nox quia nullo inficiebatur Bellonæ aſpectu: Arabant, ſerebant, metebant ſine metu imminentium & bella ferentium hoſtium. Perpendite ſi libet, atque ad veſtræ mentis aciem reuocate antiquitatis ſecula

qui-

Digitized by Google

quibus adhuc Romani maieſtas imperij non effloreſcebat. annon videbatur Orbis terrarum quaſi quædam Orcheſtra Bellonæ ac furoris, vbi gladiatorio more pugnabant ac ſæuiebant in commune Populorum excidium quælibet Vrbes ac Prouinciæ, qua inſidijs, qua eductis copijs, qua inſtructis claſſibus, qua maritimis, qua terreſtribus prælijs, in eo tantum deſudantes vt per cadauera mortalium, per ruinas Oppidorum, per incendia regionum, per clades, funera, cineres ac vaſtitatem Generis humani graſſarentur ad ambitionis & arrogantiæ faſtigium. Certabant in vna eademq; Vrbe Familiæ, Vrbes in vna eademq; prouincia, & in vna eademque terrarum parte innumeræ prouinciæ bacchabantur ad exitium ſui. Miſcebatur conſanguineus ſanguis vt alter palleſceret, rubeſceret alter: *Pectora* quę ſociabat natura, diſcordia diſſociabat: eodem cœlo & fortaſſe eodem tecto vtebantur, & diſcrimina quærebant ſeu vitæ ſeu

potentiæ. Omitto ſeditiones Populorum, *Principum* calamitates, tumentia ſanguine flumina & maria, non raro decolorem Solem, & ſæpe confuſa diei noctiſque commercia per funeſtam *Martis* lampadem. Omitto demum vniuerſę Naturę in tanto & tam frequenti Bellorum turbine gementis torměta & luctus; Vnum tantummodo Gręciæ conatū in bello continuando perpendite. Sparta, Corinthus, Athenę, tres Vrbes non ſitu, non amplitudine ditionis, non opulentia Ciuium, non animo indoleque, non deniq; legĩbus ad arma & bellicum furorem conformatę, ſed potius ad amęnitatem genij, ad Sapientię cultum, ad Honeſtatis Delicias, ad Ciuilem prorſus iucunditatem quam truculenter, quam valide in pręlia in bella, in hoſtiles diſcordias exarſerunt? Quoties ad arma Orbem terrarum pene vniuerſum excitauerunt? quoties agmina *Barbarorum* quoties Perſarum copias aduocarunt? Bella ſerebantur ex bellis:
Dies

Dies per prælia numerabantur;nec aliud erat atticè, vel laconicè viuere quam bellare. Vſque adeo placebat pugnare, quod nemo pugnãtes, vel poſſet cohibere vel auderet Verum vbi Romana fortuna incubuit Græciæ atque Orbi terrarum, pacata omnia inſtar placidi maris quieuerunt. Siquidem maior potẽtia minorem terret. Non certant de luce ſidera oriente Sole. Non negarim tamen excitatas fuiſſe ſub Romano imperio bellicas procellas ſed impetu Barbarorum Gentiumque exterarum apud quas pugnare non detrimentum pacis ſed munimentũ eſt. At Græcia, at Italia, at reliquus pene prouinciarũ tractus pacem ſenſere eo magis blandientem quod intimam & nobis quodammodo aut innatam aut cognatam.

Hæc igitur *Pax* neceſſaria fuit Chriſtianæ religioni excolendæ;ſocia enim & comes Pietati Pax adhęret. Non Mars, non Bellona,non Furor, non Diſcordia, non Odia ſe-

ſemina, cœleſtis Verbi amplectuntur & fouent, ſed animorum Coniunctio, Quies & Concordia; quippe author & fundator Chriſtianæ religionis eſt Amor. At amor pacem amat. Atque ob hanc cauſam in Terras ſeſe Deus effudit vt Chriſtianæ prudentiæ leges euulgaret id temporis quo Auguſtus Orbe pacato imperabat; Ac etiam eiuſdem Religionis legibus ſeſe Roma & Orbis terræ ſponte ſubiecerunt imperante Conſtantino qui debellato Maxentio pacem terris peperit, animis Concordiam.

Iam vero accedamus ad tertiam & poſtremam Imperij Romani prærogatiuam, ſplendorem videlicet, magnitudinem, præſtantiamq; potentię, cuius fulgore viſa fuit Gens humana neſcio quid ſupra humanam dignitatem vel ſpirare vel ſperare. Sedebat in altiſſimo Terrarū ſolio Roma triumphis, tropheis, ſpolijſq; populorum coronata; Illi prouinciarum opes, illi tributa naturæ, illi fortunę omnia pœnè orna-

namenta deſtinabantur. Illius glorię litabat Sapientia tanquam Romani nominis victima. Vbicumq; Sol illucebat, ibi cum Sole mens Romana micabat: vbicumq; diuiſo in diem, noctemq; imperio Cœlum ſeſe offerebat ſuſpiciendum, ibi diuiſa in metum, amoremque potẽtia ſeſe Roma oſtendebat admirandam: Romanæ famæ adulabatur Orbis, & Romanæ virtuti ſeruiebat Genus humanum: *V*ulgus, Senatus, omniſque Magiſtratus mortalium pendebat à genio Quiritum non aliter quam olim per fabulam ab Hercule aureis conſtricti vinculis populi pendebant; vna enim & ſola Capitolij Arx quodammodo vel æquabat, vel ſuperabat regnorum maieſtatem, immo non cenſebatur Magnum quod vel non erat *R*omanum vel non approbatum à Romanis, vt plane abierit hoc nomen in amorẽ ſtuporemq; Naturę, adeoque idem prorſus putabatur Romanum ac pluſquam humanum. Videbatur hęc Gens excellere ſupra reli-

reliquas fato quodam cui nec populi audebant obſiſtere, nec principes poterant; Sed ruebant proni ad obſequia quaſi regium eſſet non regna & ſceptra capere ſed excipere mandata Quiritum. Tantæ Maieſtatis ac felicitatis fuit Romani fortuna imperij. Sed nõ hæc acciderũt, Auditores, ſine Cœleſti conſilio cum enim Deus ſtatuiſſet Chriſtianę pietatis cœleſtia iura *M*ortalibus impertiri, voluit vt hæ phaleræ; hæ felicitatis manubiæ, hi radij potentiæ præcederent, & quaſi ex aurora indicarent Solem, & conijceret ex hac imperij pompa Genus humanũ quanta ſit dignitas, amplitudo & maieſtas Diuinæ legis, Chriſtianæque Religionis cuius Regia, ſolium, & ſedes conſtituenda erat Roma Humanę magnitudinis meta. *P*ræſepe, & Crucem amauit apud Hæbreos Deus, apud Romanos ſolium, quia Hębreos deſerebat, complectebatur Romanos. Vbi moratur Deus, regnat. Non licet adorare Diuinitatem ſine maieſtate

quæ

quę vmbra diuinitatis eſt. Splendor imperij, opes, ornamenta Regum, Nationum ſeruitia, & quæcumque penes homines Nobilitatem conciliant, Religioni debentur tanquam patrimonium, licet ab ambitione non ſine furto vſurpentur. Itaque merito Roma ceſſit in domicilium & præſidium pietatis vt quæ Romani fons erat imperij, eſſet Religionis caput, & aperte conſtaret ideo excitata fuiſſe regna, & ex regnis conflatam Dominationem *R*omanam vt eſſet inſtrumentũ, munimentumq; Chriſtianæ Religioni propagandę, ac firmandæ.

Habetis cauſam, Auditores, cuius gratia in hac luce *R*omana expoſuimus Romanæ culmen maieſtatis, ſi quidem nos homines in hac palęſtra mortalitatis illud pręcipue intelligere debemus, qua potiſſimum cauſa videantur in Orbe terrarum tot potentiæ *S*pectacula. Nimirum vt conſtet vis Religionis quam maximi ſupra omnia æſtima-

Digitized by Google

mus quaſi humanæ vitæ pretium & decus. Ideo gignimur, ideo educamur vt Religionis imbuti moribus agamus in ſcena terrarum partes pietatis. Idcirco illud etiam licet animaduertere; Omnes fere Cæſares qui minus Chriſtianæ Catholicęq; Religioni fauerunt, peſſimo tandem exitu imperium & vitam deſeruiſſe. *I*deo etiam Bizantina vexilla Romanam amiſere Aquilam ac demum Othomanæ Lunæ ſubiecta inſigni documēto fuere Romanum Imperium præſidium eſſe Chriſtianæ Catholicęque religionis, alioqui non eſſe *R*omanum. Olim fuerat tantummodo Romanum Agere & pati fortia, nunc Romanum eſt agere ac pati fortia pro Deo & Chriſtiana pietate, cuius regia & ſolium Roma eſt.

IMAGO PVRPVRATI.

ANtiquiſſima ſapientum conſuetudine vſurpatum, ac per ma-

manus poſteritati traditum, non minus approbatione, quam experimento populorum accepimus, vt qui de genere humano, deque nobis optime fuiſſent meriti, publicè laudarentur, quaſi par beneficio beneficium ſit laudare beneficij authorem; quamuis enim diuinius negotium cenſeatur homini benefacere, quàm benedicere, tamen grati animi tàm pretioſa confeſſio eſt, vt benefacientis voluntatem ſi non æquat, attingat; atque hac de cauſa Ludouicum Ludouiſium Heroicæ indolis, ac regiæ Virtutis purpuratum, qui Romanum hoc Collegium eximio templo, ideſt ſapientiæ regiam pietatis arce nobilitauit, Nos qui in eodem Collegio ad Sapientiam, pietatemque vel erudimur, vel alios erudimus palàm commendare audemus, non quia beneficio pares eſſe volumus, ſed quia non poſſumus, & volumus debere, quod debemus; habet hoc humanitas, vt ſimus laudationis officio in eum grati,

 cu-

cuius beneficio pij ſumus; verum quia beneficij magnitudo non tàm ex operis magnitudine, quam ex benefacientis voluntate æſtimatur, ex virtutibus monſtrabimus hunc ſolem, velut ex radijs; Prima oculis occurrit oris Maieſtas, quæ meritò vocatur à Sapientibus animi ſpecies, magnificentia Cordis, intimæ vitæ ſpeculum, argumentum magnæ indolis, & mētis phosphorus, qui deſignat luce ſua futuram diei claritatē, ac imminentis fortunę felicitatem pingit, velut in Aurora; hæc quantum micuit, quā-tum effulſit in hoc Heroe! dixiſſes illum à Natura effictum fuiſſe ad reuerentiam mortalitatis; *Roma* certè, quæ ſolium olim Maieſtatis nuncupata fuit, quæ conſueuit regibus afferre, ac auferre dignitatem, quæ ſupplicem terrarum Orbem adorata deſpexit, quæ complexa imperijs, vtrumque artis, ac naturæ regnum Cœlo propior viſa eſt triumphali ſupercilio, non modo ſupra homines, ſed etiam ſupra

ſtel-

ſtellas caput attollere, Roma inquã ſponte fatetur ſe nullius vnquam Principis maiore reuerentia, ac metu fuiſſe amabilitèr captam, quam Ludouici Ludouiſij, qui ſeria, & coſtante prędicus anima, inuiolatus ab illecebris, expers vanæ formidinis, nec potentię nec gratiæ obnoxius, ſed ſola recti ſpecie ſollicitus omnium pectora inclinabat ad ſui reuerentiam, contumaces compellebat ad metum, Principes ad obſequium; fulgurabant oculi, dum blandiebatur: dum terrebat, placebat, nec poterat non placere, quem omnes admirabantur, quia ideo admirabantur, quod placebat terrendo; quid enim eſt Maieſtas, niſi placere dum terres. terrere debet Princeps, ſed amari, dum terret.

At ſi tàm ſpectabilis, tamque præclara fuit animi vmbra oris maieſtas quantam fuiſſe oportet, & quàm admirabilem ipſius animi maieſtatem, ac magnitudinem? reuoluite Gregoriani imperij aureum

ſeculum, Quis Vaticani Cœli molem ſuſtinuit? Quis magni Atlantis curas excepit, niſi noſter Hercules? fluctuabat Italia grauiſſimis bellorum tumultibus excitatis in ea Retiæ parte, quàm vallem Tellinam dicunt, metuque, ac ſuſpicione fœderum trahebat in conſortia Martis, & ærumnarum vniuerſam Europam, quę iam diſtracta in partes malebat ſe ipſam diuidere, quã Italiam. Scena Martis erat tellus bellicoſa, & nulli addicta, niſi Marti, & ſibi. Auctores potentiſſimi Reges, qui regium eſſe ducebant, vel non regnare, vel certare; arma, milites, minæ, ac ſtrages iam ſeſe in conſpectum dabant: ſola hęreſis geſtiebat, quæ loco victoriæ, ac triumphi habet bella Catholicorum; Italia trepidatione, ſollicitudine reliquę prouincię iactabantur, Principes omnes, vel terrorem afferebant, vel armatam vim, remedium nemo, quaſi hæc palma Ludouiſium maneret, qui Pontificia

ma-

maieſtate oppoſita, & martiali cõpreſſo turbine excepit fluctuantem Italiam charitatis in ſinu. Iam verò quis Germaniȩ, ac Romani imperij arcem tot hoſtibus, tot hæreſibus obſeſſam validè, fortiterque communiuit conſilio, & auro? Quis Cæſareæ fortunæ inter breuia, & ſyrtes frementis Bohemiæ, nutantem nauim ad littus eduxit? Quis Romanum diadema Catholicæ Religionis in gremio collocauit, Bauaro ſeptemuiro nominato, niſi Ludouiſius? verùm hæc magna fuerint magni animi argumẽta, quid enim excelſius à mortalibus, vel præſtari, vel excogitari poteſt, quã Italiam, quàm Germaniam, quàm Europam, quàm Romanum imperium firmare pace, religione, potentia; illud ſanè maximum cenſeri debet, quod Eccleſiæ nauim noua firmauit anchora; comitia ſcilicet Pontificia, quibus Cœli, terrȩque dignitas, humani generis ſalus, & omnium tranquillitas Regnorum continentur ſancitis legi-

bus in eam conciliauit ſanctimoniam, vt non poſſint non ſanctè peragi: ò Virum dono prouidentię publicæ felicitati natum, cuius animi magnitudo ſi fas eſt dicere, ſolam Eccleſiæ magnitudinem æquauit:

Ab animi magnitudine gradum facimus ad liberalitatem, quæ gradus eſt magnę, ac ſummæ indolis ad gloriam, & fortunam mortalitatis; tanta certe Ludouici Ludouiſij, tamque exaggerata liberalitas fuit, vt non modò Alexandrum Magnum, ſed omnes Principes, ac Reges, quid ſit Regia, ac digna Alexandro liberalitas docuerit, neque enim tantummodo ignobilis, & mediocris generis homines, vel etiam equeſtris, & ſenatoriæ notę viros opulentis muneribus exornauit, ſed Reges ipſos, ac Pontifices Maximos, vel oblato vel etiam collato ſuarum fortunarum, opumque ſpendore animauit, quaſi hoc proprium Solis fuerit non modo in terras, & minora Elementa

ta lucem inferre, ſed in aſtra, in planetas, ac in ipſam Cœli aulam, quę lucis domicilium eſt, atq; Regia ſplendoris. Quis ignorat ſuppeditata Cæſari auxilia vere aurea, hoc eſt auguſta, & fortunata? Quis non admiratur immenſam argenti vim, quam Vrbano Octauo ſummo Pontifici dono miſit, vt ea liberaliter vteretur, ac redimeret Eccleſiæ incommoda, & ferream omnino ætatem præſtaret argenteam. Quis demùm non obſtupeſcit, ac pene prodigioſum non reputat vltimum illud liberalitatis, dum Regem Hiſpaniarum, hoc eſt potentia nulli Regum poſt ſancita Regna ſecundum non reformidauit Ludouiſiano cenſu donare ſuaptè ſponte, ſed more plus quam Regio; Et ſanè obſtupuit Rex ad nouæ genus largitionis, erubuitque non quaſi puderet accipere, ſed ne vinceretur: ideòque maluit approbare donum, quàm excipere, quippe dubitauit, an poſſet par reddere; capitur enim cum dono animus donantis, & aliquid
 quid

quid habet ſupra Regem ille animus, qui erga Regem prodigus eſt ſui. Vtinam viueret Alexāder, mallet enim eſſe Ludouiſius, quam Alexander; Verum ignoſcite, auditores; non oris Maieſtas, non manuū liberalitas, non animi magnitudo, imago Ludouici Ludouiſij fuere, ſed ſi fas eſt dicere Ignatianū Tēplum quod amplitudine operis, & gratia Cœlum repreſentat in Terra. Auſi fuerint veteres heroes, vel columnis, vel coloſſis, vel obeliſcis ſeſe oſtentare poſteritati, at Ludouiſius templum erexit, & in templo Cœlum, vt non ſeſe mortalitati iactaret, ſed Deo: Hæc enim ſumma Principis meta eſt Deum præferre.

AN SIT PEREGRINANDVM SAPIENTIAE CAVSSA.

DOcendi conſuetudo N.N. etſi conſilio Diuinitatis commendata mortalibus, & exercitatione

tione maiorum inſinuata poſteris, prȩclara ſemper fuit atq; honeſta; Nobis tamē veluti, quam honeſtiſſima votis omnibus eſt amplectenda. Nos enim religioſum genus haud nobis tātummodo naſcimur, ſed iubente genio Pietatis tum fortunas ingenij tum vitæ rationes omnes ad tuendam conuertimus, exornandamque Remp. cui perutiliter cōſulimus dum pueritiā componimus, erudimus Adoleſcentiam inſtruimus mores, expolimus animos, informamus ingenia,& quodammodo iacimus fundamenta fælicitatis humanæ. Quapropter iuſſus ego cum alijs in hanc incumbere curam, libenter cogitare cœpi quas partes diligentiæ agere debeam non ingratas diſcentibus, docenti accommodatas, fructuoſas ingenio moribus opportunas, venitq; in mentē Luciani,qui (quemadmodum narrat ipſe in dialogis) cum conſilio & perſuaſione Humanitatis in ſomnio adhortantis animum ad ſtudia literarum adieciſſet,

monitus ab eadem eſt vt conſcenſo curru Cœlum & Teram perluſtraret, claro documento non poſſe Adoleſcentes ad ſapientiam graſſari honeſtius, quam peregrinãdo.

Itaq; hoc præſertim eximio conſeſſu animatus meos Auditores ad luſtrandas erudita peregrinatione Prouincias diſceptanti ſimilis cohortabor.

Primum autem afferam eorum orationem qui huiuſmodi peregrinationi vehementius quam vellem obijciunt decreta Naturæ, adoleſcentiæ pericula, damna Reip.

Naturà (inquiunt) fatali ac decretorio imperio ſuis quæque corpora finibus circũſcripſit, conclusit carceribus, vinculis tam adamantinis coërcuit, vt nulli fas ſit extra vagari, tranſilire metas, repagula frangere, atque alienæ ditioni ſe immiſcere: ſuas habitant elementa domos: ſuis orbibus conuoluuntur ſidera: quæcumque gradiuntur, natant, volitant ſuis circumſepta, circumducta, circumlata

lata ſpatijs morantur, agitantur, peregrinantur. Vnde igitur hominibus hæc licentia terrarum? Profectò naturæ lædimus & maieſtatẽ, & prouidentiam, dum vitæ ſtationem, in qua ſingulos illa naſcentes collocauit, prompte deſerimus & quodammodo cum ipſa conquerimur quod eas attribuerit ſedes ad viuendum, e quibus diſcedendum eſt vt ſapienter viuamus. Habet autem & ſapientia modum, cui repugnat qui ſciendi amore immodico frequentat Vrbes atque domos non ſuas.

Res eſt præterea adoleſcentia plena timoris, atq; periculi: Ætas illa mollis & immatura, credula, facilis, expers fraudis, ambigua pudoris, præceps motibus, impatiens recti, non magnitudine conſilij, non animi robore, non maturitate virtutis, non annis, non experientia, non conſtante voluntatis tenore munitur: iactatur decumanis perturbationum fluctibus: perennibus cupiditatum motibus agitatur, ſpe

t…-

tumet, ardet ira, feruet ambitione, voluptatem anhelat: vbi theatrum & ſcena, vbi pompa & plauſus, vbi ſpecies & iucunditas; vbi honor & gloria ſe offerunt in omnẽ æſtum, in omnem impetum, in omnem iniuriam abripitur; ſi allicitur, ſi ſtimulatur, ſi impellitur, omnium exprimit ingenia, facinora, vitia: tumultuatur cum Gracco, ſæuit cum Cinna, cum Cethego conſpirat, bacchatur cum Antonio, cũ Othone hoc molitur, hoc ſtudet, hoc agit vt placeat, gratificetur, arrideat, obſequatur Neroni ſeu ſcelera iubeat, ſeu Bonos perdat ſeu Patriam inflammet, atque eo tandem labitur vt fronte proiecta, expectorata indole, corrupta modeſtia, oppignerato flagitijs animo, ſcelerum oſtentatione, Seditionum amatore & turbarum, conſcientiam opprimente vecordia dumtaxat in conſilium cogitationum ſuarum adhibeat inſcitiam ſæuitiam, audaciam, arrogantiam, petulantiam, contumaciam

ciam, procacitatem. Bellua nimirum indomabilis eſt adoleſcens (ſi credimus Platoni) & quæ mala, quæ pericula illi non timeamus remoto cuſtode, laxatis habenis, conceſſa impunitate vagandi? Diſcedat ergo hic adoleſcens extra patriæ cenſuram, procul à familię diſciplina, liber conſpectu Seniorum: non illi hæreat lateri reuerentia Patris: Matris pietas veſtigijs non immineat: Non oculis obuerſentur imagines maiorum: æmulatio ſodalium non excitet animum: vtatur ętate: fruatur indole, potiatur libertate, accedat ad neceſſitudinem Hominum fraudes & dolos vſurpantium: pateat inſidijs, audiat iniqua conſilia, prophana ſpectet exempla, obuias habeat Syrenes, diuertat ad Cyrcen, incidat in Polyphemum, vexetur ab Harpyis, quatiatur indignantium ventorum tumultu. An putabitis in tanta diſcriminum varietate, cum Vlyſſes non potuerit, imperitum adoleſcentem innocenter atque

que conſtanter eſſe acturum? An potius loco bonarum artium ægrum flagrantemque animum infamia & ignominia nobilitabit, & pro ſapientiæ inſignibus, pro virtutum Trophæis ex hac erratica expeditione nõ reportabit aliud quod futurum ſit ſolatio parentibus, quam labes, ſordes, dedecora, calamitates?

Iam vero quam miſerum, quam acerbum Reipublicæ ſpectaculum erit, cernere nobiliſſimorum ingeniorum iacturam, quæ plerumque intercidunt: pulcherrimum Iuuentutis florem in ipſo vere ſucciſum, afflicta patrimonia, ſpes Vrbium turbatas, munimenta prouinciarum debilitata, diſſidium Ciuium, contemptum patriarum legum; quandoquidem adoleſcentes facile in aliena conſilia degenerant, & quos ſemel mores admiſerunt, nunquam dimittunt. Hic Spartam. poſtquam adoleuerit, ille Carthaginem, alter Syracuſas laudabit; nemo Patriam, aut patrium morem pro-

probabit: nemo alteri Ciuium aut concedere volet aut placere; adeoq; neceſſe erit diſſenſiones oriri, tumultus & prælia animorum, remq; publicam perire. Miſeræ Vrbes quæ hoc turbine iactantur: infelix tellus, quæ hoc luctuoſo ſidere afflatur: deuota diris ingenia, quæ hac tempeſtate delectantur: cum itinere naufragium faciunt: dum peregrinantur, præcipitantur in caſum, eodemque prorſus momento temporis patria diſcedunt, & à patriæ ſalute aberrant. *V*ſque adeo Sapientię nomine ad perniciem Generis Humani abutimur.

Sed hanc accuſationis molem N. N. paucis conuello. Neque me perturbat Naturæ quam comminiſcuntur, iniuria; cum enim reliquam rerum familiam ſeruire iuſſerit, homini autē impoſuerit hęc dominātis perſonā, infra dignitatem *Principis* erit vel cum Tiberio in Capreas ſe abdere vel cum Rege Sinarum domeſticis tantum vmbris ſe præbere adorandum. decet homi-

minem ſi princeps eſt, ſcire omnia, animare vultu ſuo cunctas plagas, circumferre faſces & mores vbique oſtentare imperatorios; nam viſu & quadam mora Principis reſpirat Orbis terrarum. Gaudet etiam Natura commercio. quoties elementa mutuo coniuncta fœdere ſpectauimus? quoties narrauimus conueniſſe ſidera? Solem certe ſalutari ſępius à Mercurij ſidere Aſtronomi recẽtiores fatentur. Quãto magis cauſa ſapientiæ Mortaliũ conſociatio approbabitur? quidquid enim agit Natura, pertinere ad Sapientiam videtur. Neque habet ſapientia modum, nam quo Sapientiores, eo ſumus feliciores.

Commemorant neſcio quæ pericula: O præclaros Adoleſcentię patronos! quæ pericula? Inſidiarum? annon vbique ſtruuntur inſidiæ? annon fraus & dolus domeſtica atque inteſtina mala ſunt? & fere nemo incautior creditur quam qui ſemper vixit apud ſuos. Metuũtur iniqua ſeu conſilia ſeu exempla?

pla?

pla? Iniquiora ſunt Ciuium quorum malitiam vel audire, vel audere pro ſolatio erubeſcentis ingenij habetur. Licentia morum? domi triumphant otium & ſegnities licentiæ parentes.

Obijciunt etiam publica mala: bene habet. Hunc ego locum expectabam vt profiterer animi mei ſenſum. Pace veſtra Accuſatores, vel fallere vultis, vel erratis. Illa vmbra calamitatũ quæ Solem tranquillitatis contaminat non in puluere camporum naſcitur, ſed in ſemine paterni ſoli. Teſtatur Orbis terrarum, loquuntur Annales, poſt homines natos non publicis contigiſſe rebus, pernicioſiores ſiue ciues, ſiue principes, quam quos familiares delitię fregerunt. Hi flammas tectis iniecerunt, hi mœnia æquarunt ſolo: hi magiſtratus, hi plebem, hi potentiam, hi libertatem, hi ſalutem, hi felicitatem publicam de ſtatu ſuo deturbauerunt; hi blandas *Patriæ* illecebras veluti pullulantes Meduſæ

cri-

crines in diſcordiarum ſerpentes commutarunt. Videtis ergo periculoſius eſſe, adoleſcentiæ, atque perniciofius Reip. domi manere, quam peregrinari.

*P*ermittamus tamen hominem inter lares conſeneſcere neque vnquam e natali vrbe pedem efferre: poſt obſeſſa inanibus cogitationibus penetralia, poſt ſegni conſuetudine fatigatos penates, poſt ſordidè conſumptam ętatem quod aliud elogium ab inuita Minerua extorquebit? niſi illud Aſſyrij Monſtri, Edi, Bibi, Luſi.

At vero libet omittere illuſtriſſima decora peregrinantium: libet etiã ſilere eximia cõmoda peregrinãdi, quibus efflóreſcunt ingenia, excolũtur artes, conformatur diſciplinarũ chorus. Nõ loquar ſcholarũ delectũ cũ interſit plurimi ad famã, profectumque, Athenis potius quã Thebis didiciſſe. Tacebo excellentiam Pręceptorum; nam quemadmodum Muſę non in omni monte morantur, ita neque *Pr*æceptores

res in omni loco excellunt. Prætermittam conſuetudinem doctorum virorum quos non Sybaris, non Bæotia, non Arcadia gignunt; quis enim aurea Heſperidum poma vbique nanciſcatur? Sane fructuoſa Hiſtoriarum comprehenſio, quæ ſola ſapientes facit, fruſtra nos ſui deſiderio tenet, niſi loca ſpectamus & monumēta rerum geſtarum; animus autem adoleſcentis miris exultat virtutum amoribus dum fata regionum, arcana, mores, inſtituta, documenta, facta ante oculos habet: dum tangit, dum calcat, dum terit magnorũ reliquias facinorum quæ vbique ſe produnt, & rudera ſpirantia æternitatem. Non vnum Alexandrum Achillis tumulus, nec ſolum Cæſarem imago commouet Alexandri, ſed omnes quicumq; mortali in corpore immortalem animum gerimus, ambitione quadam æmulādi afficimur. velimus enim aut nolimus alter alteri theatrũ ſumus, ſeu bene ſeu male facta promantur.

Sed

Sed hęc aliaque omnia miſſa facio; vnam dumtaxat laudo laborum tolerantiã quæ ſapientiæ mater, filia itinerum eſt: non illa togam, non ſtolam, non Matronæ cultum iactat ſed impexo crine, vultu rudi, ſordida clamyde, geſtus, colores, inſignia imitatur Heroum; hæc *P*ythagoram, hæc *P*latonem, hæc magnum Hieronymum alioſq; Doctrinarum antiſtites peregrinãtes, ad caſtra deduxit ſapientię; ſuadere nimirum, algere, pernoctare, eſurire, aliaque huiuſmodi incommoda artes ſunt ſapientiæ, optimique adoleſcentis, quę in patria ignorantur, in peregrinatione addiſcuntur.

Quamobrem per eam quam debetis Humanitati fidem, Adoleſcentes, ſi fauetis ingenio, ſi Sapientiam cupitis, animum, vireſq; intendite in peregrinationem, quæ diſciplina Heroum, Ars nobilitatis, palæſtra eruditionis, ſtadiumq; virtutis ſemper fuit. Turpe videtur ingenuo viro in angulo naſci,

ſed

ſed ingenioſo turpiſſimum videri debet,in angulo viuere.

At veſtrum omnium ora in me conuerſa video, neſcio quid ſubmurmurantium. Igitur Roma diſcedere iubes? Hęc lux, hæc pompa, hæc amplitudo Gymnaſiorum, hæc miracula rerum deſerentur? Ignoſcite. Nunquã ego vos ad vale Romæ dicendum hortatus fui: volo vos peregrinari, nolo Roma diſcedere. ſi vellem, peccarẽ. quid enim? ſuadeo ſapientiæ geſtũ & ſapientiæ theatrum diſſuadebo? Non modo agere & pati fortia ſed etiam ſapere Romanum eſt. Vultis, vno verbo, dicam. Non aliud mihi videtur, peregrinari quam Romæ commorari. Hęc vox, hic ſenſus eſt Naturæ nos peregrinari in ea Vrbe, quę magnitudine imperij olim terras nũc etiam Cœlum complexa vniuerſum Genus humanum ad ſeſe trahit & detinet admiratione maieſtatis; quæ omnium ſermones Populorum audit, exhibet omnium ſpectacula morum, omniũ

cele-

celebrat comitia Nationum; artes, doctrinas, labores curas & opificia quæq; mortalium repræſentat, & in bono collocat lumine Nobilitatis: quæ abſoluit quidquid miraculorum inchoatur alibi & inchoat quidquid in ſummo eſt: metit quod omnes ſerunt: ſpargit quod omnes colligunt, & veluti Ærarium Prouidentiæ famam & fortunam ipſamque ſalutem diſpergit Orbi terrarum. Huc tanquam in gloriæ domicilium conuolant examina ingeniorum: huc tranſmittitur Naturæ ſupellex: huc ſuis excita ſedibus properat Europa: huc Cilix, Arabs, Syrus, Indus velut in *Pa*triam, in portum, in Emporium ſuum appellũt. In Tiberis videlicet alueum Ganges, Araxes & reliqua cum Oceano flumina relabuntur. Nam fato quodam ęterni conſilij Romam deſtinauit Deus non in Vrbem ſed vrbium Seminarium, non in vnius Gentis ſed omnium Gentium Coloniam, in Regiam Terrarum in qua Reges, Principes

&

& reliqui Generis humani Rectores veluti minora ſidera ſolem ſuum adorarent, in ſpectaculum Diuinæ Curæ, in ſedem Religionis, in theatrum & ſolium ſapientiæ; conſtat enim experimento ſeculorum in nulla vnquam magis Vrbe fuiſſe ad ſummum Principatum euectam Sapientiam quam Romæ. Hic Poëſis, hic ars dicendi, hic *P*hiloſophia, hic etiam Geometria, hic Theologia ſeſe venerandas ſupremo in faſtigio præbuere mortalibus; atqui cum honor alat artes, ſummam Romæ ſapientiam floreſcere oportet vbi ſummus habetur ſapientiæ honor. Fruſtra igitur ſapientię cauſa reliquas prouincias luſtrabitis. atque hæc ipſa circumſtantia, quæ veneror, lumina prouinciarum dum Romam tanquam in Cœlum ſuum conuenere; quid aliud indicant quam Romæ viuere omnes prouincias terrarum? Ergo vtere ſorte tua Romana Iuuentus. Non eſt Ægyptus adeunda, non perluſtranda menſa ſolis

non ſunt circumferenda per Orbem terrarum eruditæ, ne dicam ambitioſę inſignia peregrinationis. Hac in Vrbe Sapientia liberaliter & ſponte doctrinarum opes profundit vniuerſas. Expande ſinum: vtere ſorte tua. Si tamen libet peregrinari, per me licet, palam ſcilicet erit, Orbi terrarum deeſſe quidquid Romę deſideratur, nam queádmodú olim Athenæ romanæ rudimentú magnitudinis nũcupatæ ſunt Græcia Græciæ, ita etiã Roma nuncupari veriore cognomento debet Mundus Mundi.

HISTORIA
SEV
Prouidentiæ exempla.

HVMANITATIS genius ac voluptas eſt N.N. non modo per Grammaticam excolere infantiam literarum, Muſarũ crepundia inſtruere per *Poeſim*, & per Oratoriam

riam concinnare murmura declaratorum, ſed etiam per Hiſtoriam expanſa regnorum ſcena grauioribus Generis humani curis intereſſe, conſilia Principum & auſa explorare, cognata ſibi ſecula in commercium vocare, luſtrare monumenta Nationum de facie vultuq; Antiquitatis colligere ſimul ac expolire lineamenta moreſque poſterorum, latentem veluti ſub tabula terrarum retegere Prouidentiam, ac demum e vario & flexuoſo ſemper eadem & nunquam eadem ſpectacula agitantis temporis labyrintho agnoſcere arbitrum regnatricis potentiæ, cauſarum & rerum authorem, diribitorem maieſtatis & fortunæ, & ſi fas hoc nomine vti, mortalitatis æque ac immortalitatis Dædalum Deum.

Itaque profeſſoriæ Humanitatis aggreſſurus annum duodecimum cum ſatis qua Grammaticæ, qua Poeſi, qua Oratoriæ dederim; operæpretium exiſtimo aliquid etiam Hiſtoriæ tribuere: tum meos vt au-

ditores ad euoluenda Hiſtoricorũ monumenta ſubiectis veluti facibus inflammem, tum etiam quia vergentis in occaſum ætatis maturiores annos decet doctrina maturior; nam & ſapientia mutat cum ætate conditionem. Flos nempe decora veris ſoboles, autumno quoque ſi floreat, monſtrum eſt atque ludibrium naturæ. Præterea inchoatam à me rerum humanarum hiſtoriam abſoluturus debeo non oratorio ſed hiſtorico ingenio ſeruire. Verum ne humaniſſima audientia abutar, quã pauciſſima rerum euenta ſeligam, & quodammodo experimenti gratia libabo, quędam ex ijs quæ acciderunt ſeculis Chriſtum antecedentibus; omiſſis poſterioribus temporibus, ne inuidiam orationi conciliem.

Igitur poſt Orbem conditum, anno quinquageſimo ſecũdo ſeculi decimi & ſexti florebat in Meſopotamia Mathuſalem ætate longiſſima, noningentos & ſexagintaquinque annos natus. Et ſane res ple-

plena iucunditatis ac ſtuporis erat, intueri longæuum ſenem, fata narrantem maiorum & funera poſterorum quibus ipſe interfuerat, oculatum antiquitatis teſtem, cuius vita pluſquam nouem ſeculis grauida quodammodo immortalitatem parturiebat, morte ipſa vel formidante vel plaudente. At verò mihi ſubit illud perpendere. Cur tam diuerſa hominibus ætatis ratio? vnde annorum diſcrimen? Mathuſalem vitam duxit longiſſimam alius breuiſſimam. Illum Proſerpina iuuenem, hunc ſenem rapit. Quis Podalyrius faſcinat ætatem? quæ Medea conſeruat? aut quæ *Parca* obtrūcat annos? Agnoſco arcanum Dei conſilium, vt peccantem mortalitatē in officio contineat formidine mortis, vitæ ſpe. Suſpendit in ancipiti mortalium vota ne aut inſoleſcant aut torpeſcant. Gloriam non deſperat qui ſperat vitam, nec poteſt nō timere ruinam qui mortem timet. Quin etiam incerta Hominum ętas certam

tam indicat ſupremi Principis potentiam, e cuius nutu pendet gentis humanæ conditio. Hortus eſt Orbis terrarum, flores homines: metuntur, retinentur: ſucciduntur ſeruantur arbitrio Numinis.

A Meſopotamia libet in Aſſyriam migrare. Nembrotus ſeu Belus prothomonarcha cum primus in homines dominari cœpiſſet, vt eos imperio cohiberet, plurimas Vrbes excitauit; quamuis enim Cainus primã Vrbem condiderit, tamen non tam inſtruxit domicilia quam latrocinia. Ex hac Vrbiũ molitione aliud Dei Conſilium patet. Ne ferarum more degerent homines, ſegregandi fuerant à feris. Ager & nemus belluas creant: Et ſtatio loci quaſi altera Circe peruertit naturam, mores vel immutando vel corrumpendo: Rura ſcilicet ruſticã, Vrbes vrbanam indolem formãt. An etiam quia Syluæ ac deſerta libertatem amant? euagamur inter arua, non coercemur. Debuit ergo intra vrbes con-

condi ac detineri gens humana, vt agnoſceret Principem, ſuum veluti paſtorem; poſſunt belluæ aberrare ſine paſtore, homines non debēt. Adde quod poſitis Vrbibus ponuntur palatia, tribunalia, templa hoc eſt digna homine opera. Non inter mapalia excitantur ſolia; Et pertinet ad ſplendorem Diuinitatis aliquid magnificum in Orbe terrarum ſpectari; vt conſtaret aliquid etiam ineſſe homini ſupra feras: nec eſſe mortales genitos terræ ſed cœlo. Vrbes nihil aliud eſſe dixeris, quam rudiores imagines Cœli.

Antequam ab Aſſyria diſcedamus, aliud iuuat inſpicere ſpectaculum hic ſæculo conſequenti exhibitum. Semiramis rerum & imperij potitur. Ergo femina imperat generi humano? femina imperat; ſed ingentis animi & pectoris: ea, inquam, Semiramis, quæ non modo vi pluſquam heroica mundi miracula conſtruxit, ſed etiam inter componendum capillum cum

audiſſet potentiſſimam Vrbem deſciuiſſe, incompoſitis crinibus, collectis copijs ad Vrbem feſtinauit, qua debellata ſimul abſoluit victoriam & comam. Quis Agamemnon? quis Achilles id præſtitiſſet? Ad moderanda ſcilicet fata terrarum non deſiderantur artus ſed animi viriles; atque idcirco viris degenerantibus admouit Deus imperio feminam. Principes non dignitas facit, ſed animi magnitudo; & ſpecies digna imperio mens eſt, non facies. Atq; hac de cauſa non modo feminas, ſed etiam lixas, cerdones, gregarios milites, ſeruos vel in ipſo Romani ſolio imperij collocatos genus humanum ſupplex adorauit ne principes exiſtimarent in principatu omnia licere: Exuit principem, qui principis mores exuit; induit vero principem, qui principis animum induit.

At nos dudum præſtolatur Ægyptus, quę ſeculo rerum humanarum vigeſimo tertio, Ioſephum oſten-

oſtentat Hebræum adoleſcentem, paulo ante fratrum inuidia eiectū patria & domo, calumnia mox in carcerem coniectum, demum Regis loco ſumma cum poteſtate imperantem Ægypto, pronis obſequijs exceptum ab illis, quorum inſidias exceperat. Quis hanc metamorphoſim inſtruxit? Deus ad inuidiæ calumniæq; contemptum. Hę duæ generis humani furiæ dum bacchantur & furunt, coguntur vel inuitæ prodeſſe: dum Parcas imitantur, Charytum partes agunt; nam inuidia quos premit, nobilitat, quos odit, ornat. Et calumnia dum compedes inijcit, ſceptrum donat: dum laruam parat, imponit purpuram. *Poteſt* perire innocens niſi tolerat. ſi tolerat, regnat & triumphat. Non habet Diuinitas pulchrius ſui teſtimonium vel Humanitas grandius ornamentum quam virum innocentem more nocentis vexatum & tamen conſtantem. Fortaſſis etiam vult Deus efficere homines quam ſimillimos

Digitized by Google

Deo. Humanum eſt calumnias & inuidiam pati, ſed tolerare ac vincere diuinum.

Verum centeſimo poſt anno eadem Ægyptus aliud ſpectaculum omnino diuerſum exhibuit. Gens & familia huius Ioſephi migrans in Aegyptum paulatim ſobole aucta in populum excreuit. Vnde metus & ſuſpicio Pharaoni Regi ab aliena gente poſſe adſcititium populum inſurgere, occupare faſces Regem depellere, opprimere ciues. Ex metu audaciam concipit. Hebræo populo catenas ſeruitutis imponit, ille accipit. Cur hæc inſolens & noua rerum conuerſio? Populus ex principe ſeruus, ex illuſtri progenie vulgus ignauum. Cur non ferrum & vltionem aduerſus Tyrannum parat? tentanda ſunt extrema fata antequam patienda. quid ſeruitio turpius? quid funeſtius? Annon conuenientius cuiq; homini eſt licet plebeio, licet ignauo, licet impotenti arma capere quam vulnera exci-

excipere? ridet Princeps, niſi re-pugnat calcatus populus; ſi repugnat, timet. Atqui omninò ſatius eſt timeri, quam rideri. Itaque hanc ſeruitutem appellare mihi libet ſtratagema ludentis Dei, qui premit eos, quos exornat. Euehit ad ſummum, mox deuehit ad imum vt reuehat ad ſummum eò admirabiliùs quò inexpectatiùs. Niſi Pharao tam calamitosè vexaſſet Hebræos, Moyſes non tam admirabiliter eos vindicaſſet. Prodigia præceſſit ſeruitium, calamitas ſtuporem. Opprimentis *Pharaonis* oſtimentum fuit oppreſſus Pharao. Aqua Rex obruitur, qui ſudore populum obruerat. Nimirum Deus plerumque ſuos conturbat vt extollat & firmet. Atq; hoc ſeculorum experimento comprobatum arcanum eſt. Populus qui maioribus cladibus afficitur, clarioribus triumphis nobilitatur.

Iam vero Hercules in Græciam nos vocat, qui ſeculo vigeſimo octauo inſignia prodit exempla

 for-

fortitudinis. Quid Hercules? Homo ciuili fortunæ obnoxius. Quid labores Herculei? pericula & diſcrimina quibus homo iactatur vt ſe fingat ſobolem dignam Deo. Quid ſerpentes ab infante præfocati? delitiæ pueriles depoſitę, quæ inficiunt omnem vitam dum pueritiam oblectant. Quid biuium à virtute ac voluptate ſollicitatū? propendens in vtramque partem adoleſcentia. Quid pullulans hydra? ęmulorum, hoſtiumque vis nunquam deficiens. Quid geminæ columnæ? fama & vita hominis metæ. Quid demum alia monſtra debellata? mala vel corporis, vel animi, vel fortunę per laborem eluſa. Virtus, gloria, felicitas & reliqua bona per diſcrimina parantur; laboris videlicet ac ærumnæ fato agitur mortalitas. Hoc eſt viuere, per aduerſa niti. Idcirco fabulæ ferunt Herculis Atlantem iuuantis humero Cœlū ſuſtineri quia hominum curis ſuſtentatur quodammodo rerum vniuerſitas. Natura

tura

Digitized by Google

tura calore ſolis, Hominis labore ſtat Reſpublica.

A Græcia in *Palæſtinam* nos reuocat alter vt ita dicam, Hercules ſed maior ſapientia, non fortitudine; mentis, non corporis viribus; hoc eſt Salomon, ſed quantū mutatus ab illo! vt plane de Salomone adfirmare liceat, quod in Herculem olim cecinere: quantum ille decreuit gygas! Ille Salomon Diuinitatis teſtimonio clarus, gloria, ſapientia, rerum copia, mortalium & *Principum* ſummus hoc anno ſeculi trigeſimi muliebribus corruptus blanditijs prolabitur ad nequitiam & inopiam, atque hac de cauſa vexat enormibus tributis populos, peſſimis exemplis Orbem terrarum, vt plane videretur deſipere ac geminum efficere Salomonem quorum alter eſſet glorię, alter infamiæ meta. Nihil ſapiente Salomone illuſtrius, nihil corrupto ignominioſius. Grande hoc fuit ac reconditum oſtentum quo Deus oſtendit Principibus pericula *Principum*

cipum: Voluptatem eſſe potentiæ corruptelã: delicias inſidiari Dominantibus: ex dominatu naſci ſecuritatem, ex ſecuritate licentiam, ex licentia voluptates, ex voluptatibus largitiones, ex largitionibus inopiam: ab hac imponi tributa: poſt tributa lamenta populorum: inde tumultus ac ſeditiones: demùm ruere populos, principes, regna. Sit ergo Salomon Principibus documentum fugiendæ voluptatis. Quis *P*rincipum ſibi credat, degenerante in *P*rincipatu Salomone?

Diuerſam à Salomone ſcenam in eadem Palæſtina Manaſſes exhibuit ſeculo trigeſimo tertio: Ille de Salomone euaſit Manaſſes, hic de Manaſſe Salomon: ille peſſimus ex optimo, hic optimus ex peſſimo: ille poſt admiranda pietatis monumenta maximè impius, hic poſt infanda impietatis exempla maximè pius: ille in aula cultor idolorum ſuperſtitioſus, hic in carcere religioſus veri Numinis venera-

nerator: ille per potentiam ſenſit improbitatis captiuitatem, hic per captiuitatem ſenſit probitatis potentiam: illum corrupere voluptates, hunc calamitates emendauere. Tantum obeſt Principibus felicitas, tantum prodeſt infelicitas. Atque ex hoc par eſt elicere ingens argumentum approbandæ non incuſandæ Diuinitatis, dum per ingentia, & publica mala iraſcitur. Vulnerandus eſt publice à Deo qui publicè ſanandus eſt. Manaſſes captiuus ſuſpexit Deum, liber deſpexit. Publica nempe mala non minus principem quam populum ad pœnitentiam excitant. Amat enim ſupplices populos Deus, magis Principes, quia Principum vita teſtimonium eſt dominantis Dei; adeoq; reueretur Principem Deus, ſi Princeps veretur Deum.

Similem Manaſſi geſtum fecit in Aſia Nabuchodonoſor, ſed magis horrendum quia arrogãtior: quippe primarium Numinis arcanum eſt arrogantes horrendum in modum

dum plectere & immodicum faſtum compenſare horrore ſupplicij. Eodem hic anno ſeculi proxime ſuccedentis vaſto indomitæ ambitionis turbine elatus, minas, potentiam, arma, milites, catenas in omnes prouincias iactare auſus fuit, anhelare ad imperium terrarum, cœli terræque plauſus & vota extorquere, occupare famam diuinitatis, vt vnus eſſet rerum arbiter, & Deus mortalium ſuperumq; tyrannus. Sed quæ meta? qui terminus vaſtæ ambitioni funeſtior accidere potuit? Ille ſuis ſuffragiis deſtinatus mundi Dominus, indignantis Dei virgula tactus, & in varia belluarum membra deformatus horrendo ſeptem annorum exilio vixit inter belluas more belluarum, ex ambitioſo Rege Chimæra, ſed Chimæram exuit, vbi odit ambitionem. Hoc immani ſpectaculo illud diſcimus extremam ambitionem in extremam verti ſtultitiam, & ſtultitiam tolli accerſita pietate.

Ab

Ab hoc Aſiæ monſtro accedamus ad monſtrorum feracem Africam contemplaturi fortunæ monſtrum. Annibal poſt conclamatam & pene funeratam in Hiſpania hoſtium potentiam, poſt Naturam in Alpibus attritam, poſt domitam in Italia fortunam, poſt innumeras & validiſſimas copias, Vrbes, Prouincias, Nationes vel profligatas, vel ſubiectas, poſt Orbem terrarum fama, terrore exhauſtum poſt Romam vltimam Naturæ fortunæque arcem, ſi non occupatam, certe in diſcrimen adductam ſeculo trigeſimo octauo redit in Africam totius propemodum generis humani præda, exuuijs, trophæis onuſtus; militia, claſſe, fraude ac toto Annibale armatus; vix accedit ad conſpectum Scipionis, pene dixerim, Adoleſcentis Romani, trepidat, pacem petit, reijcitur, pugnat, debellatur; atque ita debellatur vt abiecto Annibale euaſerit Annibalis vmbra & pœna: ſui, & Orbis ludibrium, quia victus à

Digitized by Google

Scipione. Sic Deus illuſit aſtui africano, pietati romanæ proluſit. Per clades & cadauera romana ſibi parauit excidium Carthago; Roma per triumphos & trophæa Carthaginis abduxit in Capitolium triumphatam Carthaginem. Nec miror. Pœnus odio & fraude pugnauit, fide ac virtute Romanus: perijt ille, hic vicit. Etiam in bello, etiam in milite exigit Deus virtutem ac probitatem. Marti quoque nubit Virtus. Dos virtutis ptopria, victoria eſt.

Sed iam Roma nobis oſtentat Romanum Annibalem, ita dixere Marium, qui centeſimo poſt anno Cimbros gentem efferam Quiritum exitio natam profligauit tam prudenter fortiterque vt plus Roma debuerit Mario Cimbros fuganti, quã Scipioni Carthaginem debellanti. Cimbros timuit Roma, non Pœnos. Et ſane actum erat de Romana re (quemadmodum Hiſtoricus Romanus fatetur) niſi Marius illo ſeculo contigiſſet? Vir obſcuro gene-

genere ac loco natus, & informis corpore: vix gregarius miles cum in acie ſeſe ſtrenuè egiſſet, prouectus ad maiorem militiæ gradum, eò tandem exceſſit, vt fuerit Imperator, triumphator & ſeptimum conſul quod Quiritum nemini ante contigerat, futurus inſigne ſed neceſſarium Generi humano documentum; Haud eſſe in Republica habendum diſcrimen Hominum, ſed morum: Non oris elegantiam, non generis nobilitatem, non opũ affluentiam eſſe menſuram dignitatis, ſed parem dignitati virtutem. Ideo plerumque Reſpublica perit, quod homines æſtimantur, non hominum pretio. Specie ne principis? an prudentia regitur vulgus? Nobilitate ne militis? an fortitudine ſuperatur Hoſtis? fluctuat Natura, ſi agantur elementa viribus non ſuis, & niſi mores admoueas muneribus idoneos, Reſpublica conuellitur.

Sed claudat ſeculorum agmen annus quinquageſimus ſecundus

ſecu-

ſeculi quadrageſimi, quo VERBVM CARO FACTVM EST, Quid vltra in Orbe terrarum agat Deus, nihil habet amabilius, admirabilius nihil. Fide Deo gens humana, & diſce terrarum fata e cœlo pendere: non caſu, non fortuna, non fato agi mortalitatem, ſed rebus tũ publicis tum priuatis intereſſe atque conſulere Diuinitatem: Eſſe curę ſuperis non vltionem hominum, ſed ſecuritatem: amari denique nos à Deo, & beatæ immortalitati deſtinari per aduerſa æquè ac proſpera.

Noſtrum erit, Auditores, qui humanitatis inſignia circumferentes, genus & familia ſapientię ſumus, noſcere fortunatam ſortem huius anni quinquageſimi ſecundi, quo ſapientiam Diuinam e cœlo delapſam gremio & vlnis excepimus, Humanitatem nobilitante Diuinitate.

ORA-

ORATORIA
SEV
Ornamenta dicendi oriri ex Natura.

CVM hiſce poſtremis anni literarij menſibus meos Auditores de more ad Rethoricam inſtruerē, vt quibuſdam leuioribus veluti velitationibus exerciti ad omnem Eloquentiæ laudem anhelarent, neceſſarium eſſe meo muneri ducebam eos more optimi Ducis concione aliqua ad hunc laborem honeſtiſſimum alacriter ſuſcipiendum hortari: diſtuli tamen huiuſmodi concionem habere cum eſſem de Elocutione verba facturus.

Cogitanti autem mihi quo potiſſimum argumento vterer, illud venit in mentem me non poſſe præſtantiam, dignitatemque elocutionis, magis commendare, quam ſi oſtenderem Præcepta elocutionis adeoque ornamenta dicendi ip-

ipſius niti vi atque authoritate Naturæ quæ & fundamentum, & dux mortalium eſt, vt propterea & Oraculum pronuntiauerit: Naturam ſequere.

Sed ingens ſe mihi ſtatim difficultas ingerebat quod huiuſmodi fundamentum quamuis ſolidum, & ſtabile, opinione tamen multorum imbecillum eſſet atque inane. Neque enim defuere inſignes Philoſophi qui palam iactauerint Hominum actiones atque diſciplinas, quę traduntur in ſcholis, non Natura conſtare ſed conſuetudine, honeſtaque & turpia ſolis Maiorum inſtitutis iudicari. Id Epicurum cenſuiſſe, atque Ariſtippum Socratis auditorem Tullius teſtatur; immo ſi Diogeni Laertio credimus, ante hos idem Archelaus clariſſimus Philoſophus, alijque vti clare indicat Aemilius Probus, exiſtimarunt.

Verum Auctoritate horum non deterreor, nec decedo ſententia, ſed hypotheſi ad theſim vocata rem

Digitized by Google

rem altius cum nobilioribus diſciplinis pertractabo. Primum oſtendam Humanarum Actionum & Doctrinarum omnium præcepta deriuari à Naturæ, Rationiſque norma velut à fonte: deinde ad elocutionem accedam.

Illi igitur *Philoſophi* errore ingenij acti Humanarum actionum ſiue honeſtatem, ſiue prauitatem non Hominis Naturæ, ſed conſuetudini tribuendam eſſe iudicarunt, nec alias haberi, vel ſanctiores vel antiquiores morum leges quam inſtituta Maiorum abuſi videlicet atque decepti enormiilla, & improba viuendi licentia, cui pleriſque inlocis terrarum Genus humanum aſſueuit, dum ea quæ multorum ſuffragijs populorum approbantur, aliarum Gentium calculis damnantur. Occurrebat Babylon quæ repudiata cæterorum mortalium verecundia, & pecuniæ cupida Vxorũ pudorem exteris oppignerabat. Occurrebat Cyprus vbi lege iube-

ban-

bantur puellæ per dedecus ſibi dotem comparare. Occurrebant vt alios omittam Spartani, quibus impune furtum erat vt ciuium ſolertia excitaretur, quaſi hominum in poteſtate ſitum ſit cum ſpecies quędam vtilitatis affulget depellere de Cœlo Solem. O cęca prorſus ingenia, quæ adeo caligant vt nec Naturæ vim facultatemque perſpiciant! Annon erubeſcis, Humana Indoles? nonne indignaris dū hæc monſtra narrantur. Plane liliberet acrioribus verbis hunc errorem increpare; Sed cum Ariſtoteles aliijq; Sapientes damnauerint, atque in vmbrarum regnum relegauerint, ſatis erit mihi adfirmare poſſe rationis iubar infuſcari conſuetudine, tolli non poſſe, ſemperque aliquam Naturæ lucem ſupereſſe qua illuſtrati ab Honeſtis turpia ſecernimus & conſuetudinis fraudē percipimus. Narrabo rem iucundam.

Mos eſt cuiuſdam Populi verbera loco blanditiarum adhibere.

Exte-

Exterus quidam Iuuenis huiuſce Gentis adoleſcentulam ſibi connubio iunxerat. At illa perquam dolebat, deque Sponſo acerbiſſime conquerebatur. Cauſſam interrogata. Non inquit, accepi verbera nec flagella ſenſi. Idcirco doleo. O grande ſponſi piaculum! ò iuſtiſſimam ſponſæ quereiam! accuſatur ille quod non verberauerit, dolet hæc quod non vapulauerit. Ecquis veſtrum non rideat, non indignetur tam indignam homine cupiditatem! Adeò iniquus viuendi tenor rationem corrumpit. Profectò ſiquis id Naturæ non repugnare contendat, pro delitijs meretur flagella.

Addite, ſi conſuetudinis ratio habenda potius eſt quam Naturæ cur etiam aliqua Imaginationis reuerentia nos non tenet? Cur non eos vere fortunatos credimus quos inſania ad imaginariæ fortunę culmen attollit? Cur non Athenienſi Ciui licebit eſſe Regi? Hic Athenis degebat, & rerum omnium ſe

Dominum arbitratus cuicumque ad ſe accedenti prouincias, imperia, bona omnia deſtinabat, imponebat leges, impoſitas abrogabat Ciuiumque ſeu bene, ſeu maleſacta diiudicabat. Demum ope Medici, & amicis conantibus hoc inſaniæ morbo liberatur. Verum antiquæ memor felicitatis iraſcitur Amicis & cum ſtomacho exclamat

Pol me occidiſtis Amici
Non ſeruaſtis, ait, cui ſic extorta voluptas
Et demptus per vim mentis gratiſſimus error.

Num igitur Sapientum aliquis idcirco huiuſmodi inſanum hominum ſincerę nectare felicitatis fuiſſe delibutũ exiſtimabit? Nemo profecto. Id enim ſi cenſeret inſanus & ipſe de Lyceo in ſtultorum Ergaſtulum eſſet detrudendus. At eadem in naui verſatur, idemq; periculum expectat quisquis nimium tribuit conſuetudini quoniã quemadmodum maculoſæ imaginationis

im-

impetus vim perturbat intelligendi, ita iniqua viuendi conſuetudo Rationem inficit, & larua quadam obducit, vt turpia tanquam honeſta complectatur.

Quod præclarè Ariſtoteles Moralium libro 5. cap. 7. Dextrę ac ſiniſtræ manus exemplo declarat. Enimuero Natura in nobis comparatum eſt vt duas habeamus manus quarum dextera valentior ſit, ſiniſtra debilior, cum ex conſuetudine & exercitatione fieri poſſit vt læua ſit valentior, quam Dextra; Pari modo quamuis Natura nobis quædam vti vocamus, principia ad bonum inclinantia indiderit, praua tamen conſuetudine ad contraria poſſumus propendere; Remanetque eadem conſtans & ſempiterna omnibuſque gentibus innata ad Bonum propẽſio, niſi praua conſuetudine corrumpatur quamuis apud varios populos variæ ſint leges ac diſciplinæ.

Nolim tamen propterea exiſtimetis nihil placitis legibusq; hu-

manis licere. Habent & leges ſuum ius ſed leges bonæ. Atqui vt ait Tullius primo lib. de legibus, nos legem bonam à mala nulla alia niſi naturali norma diuidere poſſumus: Ius enim à Natura quæ prima lex eſt, diiudicatur, immo omnia honeſta & turpia atq; hominum placita niſi Naturæ placeant, improbantur. Etenim quamuis homini veluti rerum *P*rincipi quædam relicta fuerint pro arbitratu conficienda; hęc tamen ad rationis normam diriguntur, & ab ipſo Naturæ fonte deriuantur adeo vt ſi quid ratione non repugnante decretum fuerit, nefas ſit pro arbitratu ſingulorum aut mutare aut conuellere. Atque hac ratione regnorum rerumque diuiſio laudabilis fuit.

Nam quemadmodum in Diſciplinis quæ contemplationi ſeruiũt quædam, vti nominant, prima principia animaduertimus quæ cognita nobis ac perſpecta dicuntur, quod nimirum nulla ratiocinatione aut inueſtigatione, ſed ſolo

illo

illo quo pollemus intelligentis animi acumine, eiuſque naturali ad veritatem propenſione vera eſſe cognoſcuntur; ex quibus deinde principijs veluti fontibus per Ratiocinationem varia & multiplicia ducuntur effata contemplantium, quæ tamen haud diſcrepant ab eo fonte vnde naſcuntur. Ita diſciplinis, quæ ad actionem ſpectant, quędam ineſſe prima principia cernimus quæ ex inſtinctu tantum nutuque Naturæ. hoc eſt ex naturali ad bonum propenſione vera eſſe comprobantur, á quibus poſtea per ratiocinationem plurima & varia eliciuntur præcepta quę ad primos illos fontes reuocanda & diiudicanda ſunt.

Homine ſcilicet creato communis fuit rerum poſſeſſio; verum cum ambitio, auaritiaque multorum inſoleſcerent, ne quid Reipublicę grauius accideret, placuit Generi humano ſcindere velut in partes Orbem terrarum, diuiſiſque rebus iuſſus eſt vnuſquiſque ſuis ſe finibus

tenere alterique negotium non faceſſere. Quis autem paulo doctior id Naturæ placere non aduertit? Sane qui hunc Generis humani conſenſum violauerint, Natura iudice, non Auctoritate plectuntur. Accuſat Auctoritas; Natura damnat. Idcirco Apoſtolus quoſdam Sapientes increpat quod adorantes animalia male meriti ſint de Natura, cum tamen hac infami conſuetudine non modo ſapientes ſed omnes pęne Populi laborauerint. Hinc patet non hominum inſtitutis, ſed Naturæ conſilijs hominum res dijudicari. Solum enim Naturæ tribunal mores hominum vel damnat vel abſoluit.

Hiſce paulo prolixius inſinuatis veluti orationis fundamentis ad Hypotheſim accedo;

Affirmo igitur confidenter elocutionem vt optima ſit ac perfecta, a Naturali hominis norma, non à voluntate eſſe petendam; Natura quippè tum Artis Mater, tum Magiſtra, morum eſt.

Ve-

verum, inquiunt, Verborum, vocumq; ſignificatio ab arbitrio voluntateque hominum proficiſcitur, Non inficior. hoc tamen arbitriū, atque hæc hominum voluntas ſeſe ad Naturam, rationemque componant, oportet.

Quod ne mirum videatur, aliarum artium documentis certius reddam ac exploratius.

Nemo veſtrum ignorat Naturæ conſentaneum eſſe atq; conueniens parare cibos, ſtruere domicilia, naues ædificare, aliaq; ſimilia opera moliri. Nulli tamen Natura præcepit vt quoſdam præ alijs cibos delibet, ſed voluntati permiſit. Conſumat ergo aliquis dapes veneno infectas, pro piſcibus voret Serpentes, & Cocodrilis menſas impleat an recte, conuenienterque feciſſe cenſebitur?

Iam vero conſtruatur domus, excitetur palatium. Natura aſſentitur; ſic enim cœli, temporumq; iniurias propulſamus, ſic Hoſtes ſubterfugimus, ſic corpus & fami-

 liam

liam tuemur. Non tamen aſſentietur ſi domos non ex lapidibus, ſed ſtramentis, frondibus conficiamus; quamuis enim nulli certā præſcripſerit, eam tamen deſiderat materiam. quę ſit opportuna & apta neceſſitati.

Seculorum experientia docuit Naturæ placere artificium contexendarum Nauium quibus fit ne Regnum Naturæ diſſocietur, ſed mixtis populorum commercijs potius omni bonorum genere effloreſcat. At quam vtilitatem Naues afferrent ſi non abiete aut pino ſed charta contextæ in Oceanum educerentur, quales pueri cymbulas ſuas pluuialibus aquis committunt; Natura certe nunquam pinū potius, quam chartam commendauit, ſed finem propoſuit, cui materia reſpondere debet, & niſi materia fini reſpondeat, Natura violatur.

Eadem in Elocutione obſeruamus. Gens humana ad vitæ ſocietatem, animorumque coniunctionem

nem procreata egebat quibuſdam veluti ſignis vt cõmunia vitæ munera tranquille placideque præſtarentur,& animi ſenſa indicarentur; accepitque pro ſignis à Natura voces, quibus ea quæ vellet pro arbitratu ſignificaret. Hinc voces ex hominum inſtituto ſignificare dicuntur. Sed cum Naturæ mos ſit facile, prompte, ac delectabiliter operari quis negabit eas voces vſurpandas magis eſſe, quæ magis à Natura probantur, voces videlicet ſuauiores & ornatiores, quæ hanc vitę humanæ ſocietatem, hanc animorum coniunctionem faciliorem, prõptioremque reddunt atq; iucundiorem. Licet qnidem per Naturã homini, ſignificationem vocibus indere, non tamen licet promiſcuas habere voces ſuaues,& moleſtas, abſonas& conſonas; Natura enim delecta tionem amat;& quẽadmodum cibos, ita ſua vult voces imbui ſuauitate: alioquin commercia ab hominibus vitarentur ęgrorum more qui dum eos deſerit in veſcen-

ſcendo iucunditas, mori malunt quam veſci, Natura quodammodo ſeipſam perdente, ne ſuauitatem perdat. Naturæ igitur Hominis conſentaneum adeoque firmiſſimũ eſt primum Elocutionis præceptum; *V*erba eſſe deligẽda ſuauiora, conſonantiora, ornatiora.

Reſpondet niſi fallor, neſcio quis, hanc verborum ſuauitatem effici conſuetudine, non Natura; quoniam Barbari cum ſermone difficili atque inconditо vtantur, faſtidiunt Græcorum, Latinorumque dictiones vel ſuauiſſimas.

Hanc mihi reſponſionem licet philoſophico pallio abſtineam, neceſſe eſt rationibus à philoſophia petitis infirmẽ quod faciam libẽter veſtra præſerti fauente ſapiẽtia.

Nihil magis compertum penes Philoſophos habetur quam ab vno quoque ſenſu quædam percipi magis iucunde, quędam minus iucunde. Cernite oculos, duces illos animorum & veritatis exploratores qua vi, quo impetu feruntur in ea

ea quę magis arrident? Te Ariſtotelem compello, qui interrogatus cur fato quodam Homines rerum elegantium potius quam deformium aſpectu obleſtarentur, ingenioſe ac vere ſubieciſti; Hanc eſſe Cæcorum interrogationem; quiſquis enim oculorum luce non caret, non ignorat quæ ſit oculorũ vis atque indoles; Quis tamen crederet? conſuetudo etiam deformitati pretium fecit?

Non longe diſtat à patria cuiuſdam mei Auditoris Subalpinum oppidum, ibi plerçque mulieres humiditate niuiũ cõtabeſcentes collo monſtroſa ingluuie gutturoſo laborant. Acceſſit huc ducente Viro, vti ſolet, nobilis Sponſa Ferrarienſis ſeque in cõſpectũ dedit. Illę ſtatĩ ac ſi Meduſæum caput adeſſet, ingenti ſtupore corripi, mox audaciores factæ in riſum & cachinnationem effundi. Turbatus Vir; quænam, hæc, inquit, ridendi & cachinnandi vobis inſolentia? vnde hęc oritur procax licentia. Ridemus, inquiũt,

deformitatē ſponſę tuę quæ cares collo gutturoſo, noſtręque fortunæ gratulamur. Vſque adeo conſuetudo faſcinat Hominibus oculos vt illis monſtrã pro miraculis obtrudat.

Quis etiam neſcit ſapores, natura volente, alios accidere gratiores, alios moleſtiores; & non raro quæcumq; minus ſapiunt proſunt, & quod magis ſapit, magis nutrit vt communi dicto vtamur. Videte tamen quid conſuetudo obtineat.

Vir nobilis veterum R... um imitatus morem ſolemni conuiuio diē Natalem celebrauit, atque inter alios, etiam ruſticos de re familiari bene meritos ad menſam vocauit, vtque liberalius haberet, delicatiora quæq; vina adpoſuit. Bibunt illi, ſtatimque oculis in Dominum torue contortis: Hoccine inquiunt, prandium adornaſti in quo aquam potius quam vinum biberemus. Miratur Dominus, mox intellecta argutia iuſſit adferri vinum

num bene recoctum quod palatum vellicaret & ſollicitaret caput: quo deguſtato Ruſtici Domino blandiuntur & Baccho hilariter litant quaſi Græciæ fortunas conſecuti.

Agite iam & Barbaros laudate, qui noſtrarum dictionum dulcedinem abhorrent; neque ruſticis delicata vina neque Barbaris delicata verba arrident. Conſuetudo enim quemadmodum guſtum & viſum, ita etiam auditum corrumpit: Mos Barbarorum non perſuadet Sapientibus vt vocum ſuauitatem Naturæ non attribuant, & ſi quis Sapiens non attribuerit experiundi gratia ad Nili relegetur Catadupa.

Conſtat itaque quamuis verborum ſignificatio ab hominum pendeat inſtituto, tamen verborum delectum ab inſtituto Naturę pendere, neque poſſe violari, Natura non violata.

Solemus quidem frequenter vt quamdam animis Auditorum aſperitatem, acerbitatemque ingeramus verba aſpera, hiulca, & gra-

uia

uia vſurpare. Sed id Natura magiſtra didicimus, cuius documentis inſtructi grandia grandibus ac ſeſquipedalibus verbis, humilia humili dictione complectimur. Natura enim nos docet voces & verba quemadmodum & Muſicos cantum & modulos rebus accommodare, atque aſſociare.

Ab hoc etiã Naturę fõte hauſimus pręceptũ quo verbis nouis, inſuetis, atque peregrinis abſtinere iubemur; Namque conſuetis in rebus genius Naturę triumphat.

Et Metaphora nonne ortum ducit à Natura quę ab ſimulacris rerum notis apertiſque gradum facit ad ignotiora? atqui hoc Metaphorę cenſetur munus ignotiora oſtentare per notiora; ſiquidem ſapientes ampullæ contulerunt humanam intelligendi facultatem quod illa cum ſit ventre turgido, anguſto collo aquam non admittit niſi guttatim infuſam, hæc licet rerum omnium amplitudinem ſinu ſuo complectatur, tamen nihil am-

ple-

plectitur niſi rerum cognitiones paullatī per ſimilitudines & corpora notiora inſinuentur. Hanc etiã ob cauſam metaphoras mutuari à rebus fœdis, nimiumque remotis vetamur; Non patitur enim Natura hominis animũ aut cõtaminari fœdis imaginibus, aut exterarum, & ſepoſitarum rerum laborioſa cognitione diſtuctram defatigari.

Ergo non ſolum elocutio, ſed omnia elocutiois præcepta, quæ traduntur à Sapientibus pertinent non ad hominis arbitrium, ſed ad ius normamque Naturæ, eiuſque veluti ſigillo conſignata, nec reſignari poſſunt nec conuelli ab vllo Homine quamuis ingenioſo.

Atque hęc ſatis oſtendunt elocutionem partum eſſe Naturæ illiusque conſilio regi, non hominum voluntate. Quomodo autem eiuſdem naturę maieſtas ſeſe admoueat rebus tum inueniendis, tũ diſtribuendis atque affectibus animorum commouendis non eſt meũ explicare. Relinquo hanc ſpartã

alias

alias exornandā ſuperiori in Gymnaſio, vbi geſtū facit regium animorum Regina Eloquentia.

Vos autem adoleſcentes qui optimæ formam, venuſtatemque elocutionis non tā mea oratione quā Sapientum monumentis excitati didiciſtis à Natura; agite, incumbite eadem duce ad hanc pulcherrimam indolis humanę dotem qua exercitatione ſcribendi, qua legendi conſtantia, qua generoſa Veterum imitatione. Neque vos teneant illæ magnorum Philoſophorum voces quorum opiniones iam tempus & veritas aboleuit. Sed Eloquentiæ dignitatem & gloriam ex prȩclariſſimis maiorum noſtrorum inſtitutis ipſoque Naturæ inſtinctu nutuque, ſuomet pondere penditote.

Digitized by Google

POETICA SEV POETARVM VITIA NON ESSE VITIA POESIS.

DEcreueram, hiſce diebus ex huius palæſtræ inſtituto meos Auditores ad Poeſim ſibi parandam adhortari, cum in aliam cogitationem repente traducor, & importunis vocibus increpitus quaſi peſſimum ſcelus adornarem hac oratione iubeor ab incæpto deſiſtere. Itane Poeſim audes oſtẽtare adoleſcentibus? Poeſim laudabis? immò eos qui Poeſi indulſerint, rude & laurea donabis? Non pudet iterum Circem in Vrbes reuocare? Non vnam Troiam habebit Orbis terrarum quæ huius Helenæ flammis tacta in cineres conuertetur. Ignoras videlicet Poe-

Poetas veluti publicæ fortunæ hoſtes, carnifices virtutum, felicitatis humanę corruptores, fuiſſe à Platone motos gradu, de Vrbe deiectos, in exilium amandatos? Hæc nimirum illa hominum familia eſt quæ figmentis mendacijsque ad famam graſſata, illuſit ſemper Generi humano: inanium Deorum fabulis excogitatis, omne vitiorũ genus perſuaſit, omnem flagitiorum pudorem excuſſit, nec aliud eſſe Cœlum probauit quam ſcelerum coloniam. Auertant ſuperi hanc peſtem. Præcipitabit certe ad exitium ſuum orbis terrarum (ſi credimus Pauli oraculo) dum ad fabulas, & commenta poetarum conuertetur. Poetica licentia corrupit veteris Romæ triumphos, & Chriſtianam Sanctitatem. Non habet Apollinem Chriſti diſciplina. Non parit, educatque Muſarum mōſtra Pietas. Quis hanc Ethnicę ſuperſtitionis animam noſtris mentibus affudit? quis hanc inſaniæ plenam artem inſtruxit? Non Caſta-

ſtalis vnda ingenia irrigat; ab horret à Parnaſſo mens Chriſtiana : immò cuiuſcumq; ſapientis animus, nec enim aliud in Parnaſſo diſcimus quàm ſomnia, quam deliramenta, quam flagitia? Verum hæ voces a propoſito me non deterruere atque vt vnico verbo ſatisfaciam contra ſentientibus aio non Poeſim à ſapientibus, improbari ſed poetas; quandoquidem inſipientis eſt dãnare Poeſim cum peccant Poetæ; Non erubeſco fateri. Poſſunt illi quidem qui poetica vena madeſcunt, lutulente fluere, ſed Poeſis limpido ſemper fonte innocenter fluit.

At ridebit me aliquis quod Poeſim inſtar laruæ à poetis ſeiungam cum tamen aliud non ſit Poeſis quam ars Poetarum. Agam igitur id accurate, litemque abſoluam allato diſcrimine quod inter *P*oeſim ac Poetam intercedit; vtque rem ab initio ducam.

Clare adfirmo alia eſſe Artis, alia

alia Artificis peccata. Ea dixero Artis peccata quæ ortum originemque ab Artis eiuſdem præceptis trahunt, adeo vt nunquã liceat vel artem vel artis præceptum ſinè fraude vſurpare; quemadmodum ſi quis vel mentiendi vel furandi artibus exercendis inuigilare velit, etiamſi Rhadamantus abſoluat, ſemper delicti alligabitur nam furtum, mendacium delicta ſunt.

Artifici vero tunc crimini vertam cum poſſit prçclare ac honeſte vti, tamen turpiter Arte abutitur Ponite quæſo ante oculos Militiam quid hac arte præſtantius? quid illuſtrius? quæ florem nobilitatis informat ad gloriam? quæ ſubſtinet, quæ tuetur, quæ vindicat populorum ſalutem, Ciuium commoda, Principum imperia? quæ armata ferro aurea pacis ſecula parturit? quę dato, & hauſto ſanguine, vel proborum vitam confirmat, vel improborum vires debilitat: quæ denique velut omnium palæſtra virtutum, excitat corpora, excolit

Digitized by Google

lit animos , Genus humanum grauiſſimà liberat calamitate, mortis videlicet metu qui precariam reddit ac miſeram vitam ; Si quis tamen malo genio ſtimulante hac inſtructus arte inſidias Reipublicæ ſtruat , ſæuiat in Ciues , omnia ſacra , prophanaque conuellat,nihil in domibus inuiolatum relinquat,& nouus Typhæ Cælum inuadat , num propterea damnabimus *M*ilitiam cuius ſcientia fretus hic Titan eò audaciæ ſe deuoluit. Sed militia iure laudatur , & nefarius miles merito damnatur ; Neque militum impudentia militiæ dignitatem eontaminat ; Ars enim ſeipſa nititur , habetque ornamenta ex ſe , non mutuatur ab artifice ; adeoque haius noxa non illi nocet .

Atque idem Poeſi accidere quis negabia ? Ducit hæc originem ſuam à Deo , atque eſt diuinę particula ſapientiæ ; beatiſſimi Nectaris vena , cæleſtis incendij fomes , ſemen immortalitatis , mortalitatis ſolatium , donum admirabile Di-

ui-

uinitatis? Hæc doctina illa eſt quæ velut Magiſtra philoſophiæ, cæteterarumque diſciplinarum primum de Cœlo deuocata ſeſe mortalium animis beneficio numinis infudir, & arcana prudentiæ reſerauit, expoſuit doeumenta ſapientię, Naturæ leges indicauit, omnium ætatum, morum temporumque conſilia explorauit, fortunæ domina, rerum arbitra, comes Virtutum, imperatrix aninorum. Hoc illud ſtudium eſt quod pueritiæ neceſſarium, opportunum adoleſcentiæ, ſenectuti iucundum rebus triſtibus aduerſatur, lætis indulget, domi, foris ſemper prodeſt. Hæc illa vis ingenij eſt qua Turbo perturbationum compeſcitur, qua tempeſtas irarum langueſcit, qua quieſcit mare fluctuo ſum qua vel ſaxa iubentur in parietes coaleſcere, qua Beluæ cond ocefactæ exuunt immanitatem, qua homines ad humanitatem vocantur, qua fundamenta, mœnia, munimenra, legeſq; atque inſtituta vrbium conſeruantur.

Au-

Audeat ergo neſcio quis Epicuri de grege, & poetæ ſantiſſimo nomine abuſus iis figmentis, nugis atq; illecebris abundet quibus indoles, & morum ſanctimonia corrumpatur, Idcirco rogo, reprehendetur hęc ſanctiſſima animorum nutrix? & Poeſis in iudicium ducetur veluti rea læſæ iuuentutis? Si quis id agat, iudicem nuncupo illum ipſum Platonem qui Poetas quamuis de Republica depulerit, clare profuſeque teſtatur Poeſim, & amplectendam, & admittendam, omnibuſque ornamentis excipiendam eſſe; ſtolidi ingenij eſt ſpectatque ad inſaniam, ob fraudem paucorum pulcherrimam, & fructuoſam artem repudiare. Atque hoc loco mihi liceat exclamare cum Ariſtippo, qui aliquando delectatus odore vnguenti; male ſit, inquit, effęminatis iſtis quirem tam bellam infamauerunt. Male ſit inquit, poetis iſtis effęminatis qui Apollineum æſtrum ad turpia deflectentes Poeſim rem tam ſacram infamate-

runt, & vt cum ſanctiſſimo Pontifice loquar; Ahpereat caſtam quisquis violare poeſim .audet. Audite rem peropportunam.

Natio quædam hominum imperita, & planè barbara donata fuerat Horologio rotis compacto, atque hoc ingenti dono quod numquam viderat, ſatis læta vires, quoſcumque iuuabat vrbem adire ad molem horariam velut ad orbis miraculū deducebant; mirabantur mobile ferrum quod ſuapte ſponte agitaretur, mutaretque loca cum ſole:notabant diſcrimina horarum, ſuſpiciebant varietatem, mulritudinem, & fædus ferreorum inſtrumentorū quibus hæc moles nō modo imperitos ſed etiam Doctorum mentes admiratione ſui detinet. Sed accidit reſperquam acerba. Nonnulli latrunculi conuenere ſimul ſtatamque horam noctis dixere qua ab Horologio per ſonitū indicata, ſtatim ad furtum quodda conuolarent. Horæ dictę ſonus auditur, & latrunculi facinus ag-

gre-

grediuntur. Interim per vrbem ſpargitur rumor fures Horologij ſtrepitu excitos ad furtum properaſſe. Indignatur, excandeſcit, fremitque ira omnis illa natio, & digna indignaque relatu verba in Horariam molem quaſi dux latronum fuiſſet furtumque ſuaſiſſet horas indicando effundit. Quid plura? Magiſtratus, & *P*lebs agmine facto irrumpunt in Horologium, illudque confringunt, & confractum, comminutumque in flumen proiiciunt, verentes videlicet, cauenteſque ne ſimilia in poſterum facinora Graſſatoribus ſuaderet. O populum ſtolidum. O homines vere barbaros.

Sane qui horum ſtultitiam adprobaret, illius & crudelitatem laudaret qui (teſte *P*lutarcho) cum vellet inimicum hominem conficere, atque hic amici corpore contegeretur vtrumque confecit amicum æque ac inimicum improba atque effera voce proclamans. Pereat cum inimico amicus Sic

K male-

male meritus eſt de natura, vt iracundiæ gratificaretur.

Pace veſtra quicumque *Poetas* incuſatis more huius improbi Gladiatoris turbata æquitate tum amicos tum inimicos honeſtati Poetas de medio tollitis? Cur nomina non diſtinguitis? cur næuos à pulchritudine non ſecernitis? cur lutum ab auro non ſeiungitis. Conceſſeram vobis, poetas malos quidem ſed tamen poeſim rem eſſe optimã: Hoc etiam telum vobis extorqueo de manibus, nego Poetas eſſe malos neque enim nomine Poetarum inſigniri volo quędam plebeia capita quæ ſolent aliquando ſub Iuglandis aut Taxi vmbra in Parnaſſo ſomnos captare inuerecundos; Enimuero Poetarum Principes Homerus & Virgilius ſi pauciſſima dempſeris, vbique auram Caſtimoniæ ſpirant, vbique morum innocentiam promunt, eamque pręferunt carmine maieſtatem quam Poeſis ipſa, ſi oculis appareret præferret.

Et

Et reuera A. huiuſmodi homines qui tam licenter Homero, Virgilioque illudunt, Momum imitari videntur. Vt enim *V*eteres indicarent nihil adeo perfectum, ſuiſque partibus abſolutum exiſtere, quod extra reprehenſionem, aut irriſionem alicuius foret, finxerunt Deam quamdã omni pulchritudinis laude præſtantẽ ſeſe conſpiciendam Momo præbuiſſe atque illum repentè cũ aduertiſſet nihil quod offenderet, cepiſſe ridere, cachinnari, triumphare, ac exclamaſſe: *V*ah Deam hanc laudatis, ſane turpiſſima eſt cum crepidas geſtet puluere conſperſas. Vſque adeo libet allatrare vt & puluerem in crepidis reprehendamus. Eant ſane, & cum illis animalculis vitam agant, quæ omiſſis floribus quibus abundant, fætido cadauere ſaginantur, quaſi pretioſa ſit ex turpi vel ex putri ſagina,

Dicam libere nec diſſimulabo; hæc omnis informis enormiſque cupiditas qua nonnemo iactatus

depoſitis vilioribus monumentis impura omniq; fæce inquinatiora volumina conſectatur, non Poeſis, non poetarū ſceleri tribuenda eſt ſed eorum qui vitiata guſtandi facultate, ea tantum percipiunt, probantque quæ aut lethaliter nocent aut turpiter oblectant, incitati præſertim exemplo potentiorum; nihil enim vehementius commouet hominum animos quam Principum exemplum: Quid turpius quam luſcum agere? Hęc autem turpitudo in Aula Dionyſij venuſtas erat. Rem iocoſam, & ridiculam perpendite. Laborabat Dionyſius oculorum morbo apprimè luſcus. Accedebant aulici ad Dionyſium ſalutaturi ne regem an illius mandata excepturi? non aliam ob cauſam accedebant quam vt ſe luſcos eſſe ſimularent, nihilque prorſus videre. Hic vertebat menſas & cyathos frangebat, ille caput muro allidebat, alius præcipitem ſe dabat in Terrā, alius alium quà brachiis, qua pedi-
bus

bus, qua etiam baculis percutiebat. Nec alia mercede hæc cęcitas placebat quam prauæ imitationis; Humani ſcilicet ingenij eſt ſeſe cōponere ad Principum, paucorumque potentium exemplar. Magnes eſt potentia quæ vel ferrea hominum ingenia ad ſui imitationem trahit. Neque hic eſt neceſſe omnia malorum ſemina enumerare, quæ quorumdam potentia nullis cohibita modeſtiæ vinculis intulit orbi terrarum; deplorauere Maiores hæc mala, & poſteri deplorabunt, ſed vos auertite hoc malum ô ſuperi; & quo poteſtis, in herba peſtilentem hanc frugem opprimite.

Sed hactenus; nam æſtus quidam ac feruor orationis me in longiorem diſputationem quam propoſueram abſtraxit.

Illud autem in mea cauſa plus difficultatis videtur afferre, quod in ipſa arte poeſis vitium ſit intolerabile, cum enim tota figmentis conſtet cenſenda eſt à veritate ſummopere aliena, & mendacio maxime

ximè affinis. Quid autem ea turpius eſt arte quę fronte præfert mēdacium, ſtigma illud publicæ calamitatis, inſigne ſcelerū, authoramentum flagitiorum, bonorum laruam, & miſerrimum ingeniorum rudimentum? Quid ea eſt iniquius arte quæ abhorret a veritate, hoc eſt à ſole; quæ vmbras, & ſpectra conſectatur, obſoleſcit tenebris, & viduata lumine cimmeria pluſquā nocte hominū ingenia confundit. Hinc illæ non ſemel in Poeſim auditæ voces plenæ indignationis, & irarum. O artem inertem? o pernicioſum rei publicæ ſtudium? ò doctrinam verè fabularem? ò deceptoriam generis humani diſciplinam quæ tam impudenter imponis, tam blande baccharis, tam turpiter blandiris.

Verum horrendas huiuſmodi querelas vnico verbo compeſco, & confidenter vſurpo quod olim in re diſpari non diſſimile pronunciauit vir ſanctimonia æque ac ſapientia clariſſimus Auguſtinus eo libro

quo

quo mendacium damnauit, Quæ dicuntur à Poetis, non eſſe mendacia ſed myſteria. Dicti autẽ ratio-nem hac explicat argumentatione. Si mendacium pronunciatur cum aliqua res profertur, ex cuius ſignificatione res alia intelligenda eſt, profecto nunquam ſinè mendacio tropos metaphoraſque, adhibemus cũ tamen contra accidat, neque opportunius, clariuſque animi ſenſa promamus quã cũ metaphoris vtimur. Quod ſane, & ipſi Ariſtoteli probatũ fuit qui capite decimo libri tertij Rhetoricorum ad Theodectem pluribus commendat neſcio quem à quo iuuentus vrbis vel ver vel flos nuncupata fuerat, quemadmodum enim è vere floruentoque agro fructus præſtolamur, ita de iuuentute vrbis felicitatem ſperamus. Immo, & alium laudat a quo ſenectus arida ſtipula fuerat nominata, vtrũque enim, ſenectus videlicet, & ſtipula virore viduantur.

Nominentur igitur iuuenes flo-

res,

res, & ſenes ſtipulæ, annon inſanū dignūq; helleboro eum cenſeretis qui vel iuuenes inter hortos, agrosq; conquireret, vel ſenes in ignē veſlet conicere Atqui flores in hortis inueniuntur, & ſtipulæ ſolent igni committi. Neque orbi terrarum deſunt huiuſmodi ſtolida capita. Narrabo id quod accidit.

Iuuenis nomine Verterius ſtoliditate nobilis cum aliquando Solem contemplaretur illiuſque venuſtiſſimo conſpectu oblectaretur, vidit repente nubem adeſſe nigram, & denſam quę ſolem inuadens, diei pompam oppreſſit; Itaque arbitratus eam nubem eſſe horrendum animal a quo fuiſſet deuoratus ſol, ad matrem ſe conuertit, ſollicitequé atque anxie nomen huiuſmodi animalis percontatur. Illa monſtroſam interrogationem indignata. *Vade*, inquit, cucurbita. Dicto citius paruit, ſeque inter cucurbitas abdidit. Mane deſideratur Verterius, quæritur, nulla domus, nullus augulus omittitur: Nuſquam Ver-

Verterius inuenitur. Agebat ergo in ſummo luctu mater, cum forte in hortum ſe contulit, ibique reperit fronte lęta Verterium inter cucurbitas iacentem. Quid agis, exclamat, Verteri, in hoc comitatu? Subiecit ille, cucurbita ſum, inter cucurbitas viuo; nec vnquam ab eo potuit mater impetrare vt domum rediret aliudq; ſe crederet quàm cucurbitã, ſemper enim conſtantior atque doctior reſpondebat. Cucurbita ſum inter cucurbitas viuam, & niſi fames meliora conſilia dediſſet, forſan inter cucurbitas euaſiſſet vere cucurbita.

Atque hanc Verterij indolem quodammodo illi videntur imitari qui ſibi perſuadent Poetas dum heroum facinora, & ingenioſas fabulas commenti fuerunt, voluiſſe imponere atque illudere Generi humano. Non hæc mens Poetarum fuit ſed per fabulas documenta ſapientiæ inſinuarunt Poſteritati, & per illuſtria Heroum facta inſtruxere mortales qua via graſſari debe-

ant

ant ad gloriam fameque immortalitatem. Quis Vlyſſes niſi ſapiens; Quis Achilles niſi fortis? Quis Neſtor niſi prudens? Quis Agamemnon niſi *P*rinceps? finguntur à Poetis perſonæ vt actiones exprimantur. Non adeo male ſenſit Ambroſius vir; & religionis, & virtutum amore nulli ſecundus qui initio libri de S. *I*oſeph non erubeſcit fateri ea quæ de Heroibus Poetæ comminiſcuntur; quadrare in Sanctos Viros quorum imitationi ſtudet christiana Poſteritas. Sed quid plura? hiſce Poetarũ ideis conſtat *P*latonis philoſophorũ principis doctrina.

*P*reterea cum *P*oeſis loquens pictura ſit, cur negamus Poetæ quod Pictori laudi tribuimus? Sane Picturæ laus eximia creditur aliquo ſigno plura indicare: & merito Antiquitas Timantem laudauit qui vt ſummum Agamemnonis dolorem expingeret opertum illius caput expreſſit. Atque id ſpectant *P*oetę dum quædam commininiſcuntur

vt

vt ſuis omnibus officijs , partibuſque abſolutam humanæ uitæ imagi nem conforment . Tantum abeſt , vt Poetæ decipere velint , atque obeſſe ; quin potius per iucunda figmenta longè facilius atque diuturnius animis mentibuſqus mortalium ſapientiam inſinuant ; Narrant ſcilicet Vitia Deorum vt proponāt mortalibus execranda; ideoque plurimum illis debemus , quod inanium Numinum ſceleribus retectis , ſanctitas Chriſtianæ religionis ac innocentia pulchrius eluceſcit .

Agite igitur , Adoleſcentes , ad poeſim animis , opibuſque anhelate ſed poeſim caſtam , puram , plane diuinam & qualem exigit ratio Chriſtianæ Vitæ, cui ſeruire vere ac ſolum ſapere eſt .

LAVS DEO.

Digitized by Google

Errata	Corrige
Pag. 21. Quædam	Quadam
36. Pupulorum	Populorum
40. ligauit	legauit
43. excobuit	excoluit
64. iutiſttiam	iuſtitiam
85. reſcinder	reſcinderet
105. confirmantur	conformantur
116. homine	omine

Hæc pauca indicauimus vt ſi alia aduertas, fas ſit ea quoque corrigere.

Digitized by Google

Digitized by Google